



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Eusebiu Tu Pamphilu Ekklesiastikē Istoría

Eusebius <Caesariensis>

Mogvntiae, 1672

De Schismate Donatistarvm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14478**

# HENRICVS VALESIVS

## LECTORI

**Q**uemadmodum Eusebius noster quatuor suis de vita Constantini libris tria subjecerat opuscula; orationem scilicet Constantini ad Sanctorum curiam; descriptionem basilicæ Hierosolymitanae & donatistarum quæ Constantinus illic DEO dicaverat; panegyricum denique à se dictum in tricennalibus ejusdem Constantini: ita nos ejusdem exemplum secuti, adnotationibus nostris tres quatuorve subjungimus dissertationes. Prima est de ortu ac progressu schismatis Donatistarum usque ad Synodum Nicenam, id est, ad annum Christi 325. Secunda est Epistola de Anastasi & de Martyrio Hierosolymitano: in qua ostendimus unam duntaxat basilicam Hierosolymis à Constantino adificatam fuisse; non duas ut plerique ante nos crediderunt. Quæ quidem Epistola licet ante annos octo à V. C. Ioannæ Tristano fuerit edita, nunc tamen multo emendatior & auctior prodit. Tertia est Epistola ad Iacobum Vsserium, qua sententiam illius de versione 70. Interpretum, deque Hexaplis Origenis confutamus. Quarta ac postrema est brevis disquisitio de Martyrologio Romano quod edidit Rosveydus. Ac duarum quidem priorum lucubrationum mentionem jam feci in adnotationibus Eusebianis, easque ad calcem hujus operis exhibiturum me esse promisi. Quartam quoque dissertationem non obscure polliciti sumus in Notis ad caput ultimum libri septimi. Quod ad tertiam attinet, eam non abs re ut opinor hic adiciendam putavi, cum in eâ multa observentur quæ ad libri sexti intelligentiam possunt conducere, in quo Eusebius de versione 70. Interpretum & de Hexaplis Tetraplisque Origenis disserit. Has porro dissertationes ideo ad calcem rejecimus, ne interjectis prolixioribus opusculis, adnotationum continua series confunderetur, neve lectori semper ad ulteriora properanti moræ ac molestia afferretur. Accipe igitur, benevole Lector, quæ ad expositionem Eusebii & ad antiquitatis Ecclesiasticæ illustrationem à me pro virili parte collata sunt, & meum studium atque institutum æqui bonique consule.

## DE SCHISMATE DONATISTARVM.

**P**ost crudelissimam Diocletiani persecutionem: Apossimus, quæ Balduini ac Baronii oculos ac diligentiam fugerint. Ego verò non hujusmodi consilio ad hoc argumentum me contuli. Sed cum in tota hac Donatistarum historia, ac præcipue in his quæ ad initium atque originem schismatis pertinent, multas & maximas difficultates deprehendissem, privata utilitatis gratia hoc opus aggressus sum, ut & meipsum, si fieri posset, nodosis difficultatibus liberarem, & alios meo exemplo ad ejuſdem rei indagacionem accenderem.

**C A P. I.**

**O**rginem schismatis ab ordinatione Majorini esse repetendâ, docent Optatus & Augustinus. Sed quo anno contigerit ordinatio Majorini, non levis est difficultas. Baronius quidem promotionem Cæciliani & schisma Majorini confert in annum Christi sextum ac trecentimum: quæ fuit etiam sententia Fr. Balduini. Verùm ex Optati verbis facilissimum fuerit eorum sententiam refellere. Scribit enim Optatus in libro 1. Felicem quandam diaconum; qui adversus tyrannum Imperatorem famosam Epistolam scripsisse arguebatur, metu iudicii territum; apud Mensurium Carthaginensem Episcopum delinxisse. Cùmque Mensurius sæpius de



ea re conventus, eum exhibere recusaret, missa ad Imperatorem relatione, iussus est ad comitatum perducere: ubi causa dicta: absolutus & Carthaginensem remissus est. Sed morte præventus eò pervenire non potuit: *Tempestus*, ait Optatus, *persecutionis peracta & definita est. Juvénio Deo, indulgentiam mittente Maxentio, Christianis libertas est restituta. Borrus & Celestius, ut dicitur, ordinari utpientes, &c.* His verbis initium Imp. Maxentii, id est annum Christi 306. ab Optato designari Baldunus & Baronius crediderunt. Nam cum Eusebius in libro 8. historiae Ecclesiasticae, Maxentium initio Imperii sui, pietatem ac benevolentiam erga Christianos simulasse & persecutionem cohibuisse scribat, indulgentiam tunc ab eo missam esse in Africam arbitrati sunt. Quod tamen fieri nullomodo potuit. Etenim tunc temporis Africa nondum erat sub ditione Maxentii, sed Galerio Augusto & Severo Caesari parebat, ut docent omnes Historici. Quare cum Severus Caesar anno Christi 307. occisus sit, ut in Fastis scribit Idatius, ante hunc annum indulgentia illa à Maxentio in Africam mitti non potuit. Et quo pacto Maxentius anno Christi 306. indulgentiam, id est, edictum de libertate Christianorum, misisset in Africam, cum post Severi Caesaris necem imagines Maxentii Carthaginenses admittere noluerint, ut testatur Zosimus. Quod anno Christi 307. contigisse, recte notavit Sigonius in libris de Imperio Occidentali. Ego vero Africam non ante Christi annum 310. in ditionem Maxentii venisse, ex Zosimi & Aurelii Victoris auctoritate constanter affirmo. Nam Zosimus quidem scribit Maxentium occiso Severo Africam ad suas partes allicere voluisse. Ac primum quidem imagines suas misisse in Africam; sed milites qui in Africa praesidium agebant, Galerio fidem servantes, obstitisse ne imagines admitterentur. Quo comperto, Maxentius dolo agendum ratus scripsit ad Alexandrum, qui tunc Praefecti Pratorio in Africa vicem gerebat; mandans, ut quoniam totius Italiae Imperio jam sine controversia potiebatur, ipse quoque partibus suis adungeretur, filiumque oblidem ad se mitteret. Quod cum Alexander tacere recusasset, Maxentius milibus quibuidam militibus interficere eum conatus est. Sed detectis insidiis, milites qui in Africa erant Alexandrum Impercreaverunt, hominem legnem atque imbellem, & jam aetate provecum: *Per idem tempus*, inquit Zosimus, *Roma templum Genii publici conflagravit. Ad quod incendium restinguendum cunctis certatim accurrentibus, cum miles quidam adversus Numen illud Gentilium impie locutus esset, à plebe statim interemptus est. Quo facto reliqui milites adimmanem iracundiam concitati, tantam stragem in urbe fecere, ut minimum absuerit quin Roma funditus interiret, nisi Maxentius furorē militum compescuisset. Post hoc Maxentius occasionem belli adversus Constantinum querere cepit; insensu erga illum, ut pra se ferebat, eo quod patri suo Maximiano Herculo causam mortis prabisset. Itaque in Retias cum exercitu progredi jam parabat, sperans se Daciam & Illyricum, omnesq; Licini copias facile ad suas partes iraductum. Haec in animo habens, ante omnia res Africanas componere decrevit. Quare coactis copiis, Rufium Volusianum Praefectum Pratorio cum Duce Zenam Africanam mittit: a quibus Alexander primo praefectus nihil super interfectus est, Roma Maxentius de Carthagine tran-*

## C A P. II.

**P**erlatà in Africam Maxentii indulgentia, cum libertas Christianis reddita esset, de substituendo in Mensurii locum Episcopo agi ceptum est. Cumque convenissent Carthaginem vicinarum urbium Episcopi, totius populi suffragio Caecilianus electus est, & à Felice Aprungiano Episcopo consecratus. At Borrus & Celestius, qui Episcopatum Carthaginensis Ecclesiae ambiebant, cum ipse sua se dejectos viderent, conjurare adversus Caecilianum coeperunt; & adhibita in locietatem Lucilla potentissima femina ac liberibus plebis Catholicae, quibus Mensurus ad Comitatum proficiscens ornamenta Ecclesiae commiseraverat, literas ad Secundum Tigitianum Episcopum mittunt, petentes ut cum reliquis Numidiae Episcopis Carthaginem veniret. Aggre ferebat Secundus, quod Caecilianus ab alio consecrari maluisset, quam ab ipso qui Primas esset Numidiae. Sed & reliqui Numidiae Episcopi non modicam injuriam sibi factam putabant, quod ad illam ordinationem evocati non fuissent. Igitur cum



Carthaginem venisset Secundus, & reliqui qui Cirtensi concilio interfuerant, nempe Donatus Mafulitanus, Marinus ab aquis Tibilitanis, Donatus Calamenfis, Victor à Ruficade, Purpurius à Limatà, Felix à Rotaria Centurionis, Victor à Garbe, & Secundus minor, Secundi Tigisitanus ex fratre nepos: præter hos etiam Silvanus Cirtensis Episcopus, qui in illo Cirtensi Concilio Episcopus fuerat ordinatus; item Donatus à Casis nigris, dux ac signifer illius factionis, & alii septuaginta numero Episcopi, hospitio excepti à factionis suæ confortibus, Cæcilianum ad causam dicendam evocant. Sed ille, qui eos à calumniatoribus suis accitit in perniciem suam intelligebat, qui eos apud calumniatores suos diversari videbat, ad Concilium illud venire recusavit; retentus à plebe Catholicorum, qui ne se ipsum hostibus suis traderet, obstitit. Tunc illi Cæcilianum absentem, quod vocatus ad concilium venire nolisset, damnaverunt, duo crimina illi obijcentes; primum quod à traditoribus ordinatus fuisset Episcopus: deinde quod cum esset diaconus, victimæ affertur martyribus in custodia positus prohibuisset. Tunc sententiæ à singulis dictæ sunt contra Cæcilianum, & contra ordinatores ejus, qui à concilio similiter evocati adesse noluerant. Primus Secundus Tigisitanus, ut pote Primas Numidiæ, sententiam dixit: post quem reliqui sententiam dixerunt, qua nominatim pronuntiarunt, se nec Cæciliano nec collegis ejus communicare. In libro adversus Fulgentium Donatistam qui inter opera Augustini legitur pag. 275. extat sententia quam dixit Marcianus Episcopus in Cæcilianum. Post hæc in locum Cæciliani Majorinum ordinarunt Episcopum, in gratiam Lucillæ, cujus domesticus erat Majorinus. Quibus ad hunc modum confectis, literas quaquaversum per Africam miserunt, quibus reliquos Episcopos adversus Cæcilianum & collegas ejus à se damnatos incitarent, & à communione illorum quasi traditorum averterent. Hoc fuit initium nefarii schismatis Donatistarum; quod ab ordinatione Majorini exortum, universam postea Africam occupavit. Quanquam Donatistæ, non ab illa ordinatione Majorini primordia discordiæ sui repetebant, sed paulo altius, jam inde à temporibus Mensurii Carthaginensis Episcopi. Statim enim post persecutionem absciderunt se à communione Mensurii, quem traditorem fuisse contendebant; & suæ partis interventorem habuerunt in Ecclesia Carthaginensi antequam ordinaretur Majorinus: quem quidem interventorem occisum esse à Catholicis affirmabant, ut scribit Augustinus in Epistola 163. *Narravit etiam, in ipsa schismatis novitate majores suos, cum cogitarent culpam Cæciliani, ne schisma fieret, quoquo modo velle sopire, dedisse quendam interventorem populo suæ communionis apud Carthaginem constituto, antequam Majorinus adversus Cæcilianum ordinaretur. Hunc ergo interventorem in suo conventiculo à nostris dicebat occisum. Sic iidem Donatistæ Romæ interventores habuerunt, quos paucissimis partis suæ in urbe degentibus mittebant ex Africa: postea verò proprios illic Episcopos ordinarunt, ut docet Augustinus in libro de unico baptismo & Optatus. Præterea Augustinus in Breviario collationis tertiæ, & in libro Retracta-*

tionum scribit Donatum à Casis nigris Cæciliano adhuc diacono schisma fecisse Carthagine, ejusque facinoris reum postea convictum fuisse in Synodo Romana sedente Miltiade. Ex quo manifestè colligitur, schisma Donatistarum aliquamdiu ante ordinationem Cæciliani Episcopi ceptum fuisse. Sed quoniam in ordinatione Cæciliani vehementius erupit, idcirco schismatis initium ab illa ordinatione deducitur.

## C A P. III.

**A**Ntequam ulterius progrediamur, emendandus est obiter duplex error in Annalibus Ecclesiasticis. Alter pertinet ad acta apud Zenophilum Consularem Numidiæ, quibus Cæcilianus purgatus, & Silvanus Cirtensis, unus ex ordinatoribus Majorini, traditor fuisse convictus est. Baronius hæc gesta esse existimavit anno Christi 306. quo nihil, meo quidem judicio, dici potuit absurdius. Sed vel ipse titulus Actorum refellit sententiam Baronii. Sic enim prænotantur hæc gesta: *Constantino Maximo Augusto & Constantino juniore nobilissimo Cesare Consulibus, &c.* Apud Augustinum verò perperam legitur *Constantio Maximo Augusto*. Qua lectione inductus Baronius, Constantium Chlorum hic designari censuit, qui anno Christi 306. sexto Consulatu suo finem vivendi fecit: eique suffectum fuisse vult Constantinum, gravi errore. Nam si hoc anno Consul fuisset Constantinus, sequenti anno, quo Consulatum gessit una cum Maximiano Herculo, iterum Consul dici debuisset in Fastis, quod tamen non legimus. Deinde si Constantinus in locum patris suffectus est Consul, cur nomen Constantii patris adhuc remanet in Fastis? Sed & cognomina quæ in Actis illis utrique tribuuntur, satis indicant Constantium Chlorum hic designari non posse. Neque enim Constantius Chlorus Maximi titulum unquam gessit: nec Constantinus ejus filius, Junior cognominatus est. Cum enim Junior dicatur ad distinctionem senioris qui eodem appellatur nomine, quomodo dici potuit Junior Constantinus, cum ante ipsum nemo hoc nomine fuerit insignitus. Quare non dubium est, quin corrupta sit Augustini lectio, scribendumque ut legitur in Gestis purgationis Cæciliani: *Constantino Maximo Augusto & Constantino juniore nobilissimo Cesare Consulibus*. Fuit hic annus Christi vicesimus ac recentissimus, quo Zenophilus Consulatis Numidiæ causâ cognitâ Silvanum Cirtensem Episcopum traditorem fuisse pronuntiavit. Porro hæc apud Zenophilum Acta anno Christi 306. fieri non potuisse, pluribus argumentis probari potest. Primum enim Constantina civitas & Constantinienses in iis Gestis dicuntur cives urbis Constantinæ. Nam Victor Grammaticus ait patrem suum fuisse Decurionem Constantiniensem. Atqui certum est, non nisi post mortem Maxentii Cirtam oppidum Numidiæ, quod Alexandri tyranni obsidione ceciderat, à Constantino instauratam, & ejusque vocabulo appellatam fuisse, ut testatur Aurelius Victor. Deinde jam tum Cæciliani innocentia multis indicis probata fuerat, cum hæc apud Zenophilum gesta sunt. Sic enim initio Actorum legitur: *Cur ergo intermissio eius innocentia probata est, Silvano communicat.* Adde



quod Clerici adversus Silvanum interrogati, respondere se à majoribus & lenioribus Clericis ita accepisse, quod traditor esset Silvanus; id est, quod tradidisset lucernam argenteam tempore persecutionis, Diocletiano VIII. & Maximiano VII. Coss. anno Christi 303. Quod si hæc Acta apud Zenophilum gesta essent anno Christi 306. Clerici utique non dicerent accepisse se à Majoribus suis rem adhuc recentis memoriæ, quam ipsi videre potuerant. Denique quis Zenophilo præceperat, ut de crimine traditionis Silvani tantâ curâ ac diligentia cognosceret? Certe non Galerius. Hic enim Christianos acerbissimè persequebatur. Nec Maxentius. Nam & hic paganus fuit, ut ex Eusebio & Zosimo constat: & anno Christi 306. quo hæc acta esse Baronius affirmat, nondum Africam sub ditionem suam redegerat, sicut paulo antea demonstravimus. Sed neque illud dici potest, Constantinum Imperatorem eam cognitionem mandasse Zenophilo: quippe cum anno Christi 306. Constantinus ne unam quidem glebam in Africa possideret. Ex his manifeste convincitur, Acta hæc apud Zenophilum Consularem Numidiæ, non 306. sed 320. Christi anno gesta esse, Constantino Maximo Augusto VI. & Constantino juniore nobilissimo Cæsare Coss. Alius præterea error est in iisdem Annalibus corrigendus, ubi Concilium ducentorum ac septuaginta Episcoporum à Donatistis Carthagine celebratum, confertur in annum Christi 308. De hoc Concilio ita loquitur Augustinus in Epistola ad Vincentium: *Scribit enim ille Tychonius, homo, ut dixi, vestra communionis, à ducentis & septuaginta Episcopis vestris Concilium Carthaginense celebratum. In quo Concilio per septuaginta & quinque dies, postpositis omnibus præteritis, limatam esse sententiam, atque decretum, ut Traditoribus immensi criminis reus, si rebaptizari nollent, pro integris communicaretur. Deuterium etiam Macrinensem Episcopum communionis vestra, dicit Traditorum plebem congregatam Ecclesia miscuisse: & secundam statuta illius Concilii à ducentis & septuaginta Episcopis vestris facti, fecisse cum Traditoribus unitatem; eique Deuterio post hoc factum iugiter communicasse Donatum: nec solum huic Deuterio, sed etiam universis Maurorum Episcopis per quadraginta annos, quos dicit usque ad persecutionem per Macarium factam, Traditoribus sine baptismo communicasse.* Ex his Augustini verbis Balduinus in historia collationis, & post eum Baronius existimaverunt, hoc numerosum Donatistarum Concilium celebratum esse annis quadraginta ante tempora Macariana. Hæc autem cepisse anno Christi 348. aut 49. rectè animadvertit Baronius. Verùm reatentius examinata, observavi Augustinum nequaquam id dicere, quod Balduinus & Baronius crediderunt. Idenim tantum dicit Augustinus, seu potius Tychonius, Donatum Deuterio & reliquis Maurorum Episcopis per quadraginta annos communicasse, eisdemque Maurorum Episcopos semper usque ad Macariana tempora Traditoribus absque iteratione baptismi communicasse. Quid enim aliud sonant hæc verba Augustini? *Eique Deuterio post hoc factum iugiter communicasse Donatum: nec solum Deuterio, sed etiam universis Maurorum Episcopis per quadraginta annos, quos dicit usque ad per-*

*secutionem per Macarium factam, Traditoribus sine baptismo communicasse.* Ex quibus verbis duo colligi possunt. Primum est, Episcopos Maurorum, qui erant partis Donati, non rebaptizasse nisi post tempora Macariana. Nam ante hæc tempora Catholicos ad se venientes, si rebaptizari nollent, tanquam integros suscipiebant. Post persecutionem autem Macarii, Catholicos non nisi rebaptizatos communioni suæ lociarunt, in odium, ut videtur, persecutionis illius, cujus auctores esse Catholicos criminabantur. Illud præterea ex verbis Augustini colligimus, Donatum illum qui Majorino successit, & à quo Donatistæ sunt appellati, Episcopum fuisse Carthaginis per annos quadraginta. Nisi forte Augustini locum ita emendare malimus. *Nec solum Deuterio, sed etiam universis Maurorum Episcopis quos dicit per annos quadraginta, usque ad persecutionem per Macarium factam Traditoribus sine baptismo communicasse.* Quæ quidem lectio & æquior mihi videtur & verior. Quippe ab initio schismatis usque ad persecutionem Macarii, anni sunt quadraginta. Ceterum Synodum illam ducentorum ac septuaginta Episcoporum anno Christi 308. celebratam non esse, ex his quæ supra disputavimus manifeste convincitur. Cum enim schisma constat non sit ante annum Christi 320. quomodo congregari potuit tam numerosa Synodus Episcoporum schismaticorum anno Christi 308. Equidem arbitror Synodum illam congregatam fuisse temporibus Donati Carthaginensis Episcopi, aliquot annis post Synodum Nicenam. Moveret me primò quidem numerus Episcoporum ducentorum ac septuaginta, qui certe novo adhuc & recente schismate tot esse minime potuerant. Proinde necesse est, ut roborata & maxime confirmata fuerit hæc factio, cum tantus numerus Episcoporum in urbem Africæ primariam convenit. Constat autem Donatistarum factionem temporibus magni illius Donati præcipue viguisse. Itaque sub illius Episcopatu hoc Concilium convenisse, non sine causa existimamus. Certe salvo ac superfluo Cæciliano id fieri non potuisse pro certo habeo. Nam & Cæcilianus apud Imperatorem plurimum poterat, postquam innocentiam suam ei coram approbaverat; nec Imperator ipse id laturus fuisset, quippe qui & basilicas Donatistis ademerit. Sed & Augustini seu potius Tychonii verba, indicare videntur Synodum illam sub Donato congregatam fuisse. Postquam enim dixit Deuterium secundum statuta illius Concilii fecisse cum Traditoribus unitatem, addit eidem Deuterio post hoc factum iugiter communicasse Donatum. Ex quibus colligere possumus id Concilium Deuterii ac Donati temporibus fuisse celebratum.

## CAP. IV.

Sed nunc tandem ed revertamur unde digressi fuimus. Non multo post ordinationem Majorini, à qua Donatistarum, schisma cepit exordiri, Constantinus superato Maxentio Italiani & Africam Imperio suo adjunxit. Qui cum superiores Principes persecutione ac supplicii Christianorum res suas labefactas intelligeret, contrariam viam ingressus, propositis edictis pacem ac libertatem



tem Christianis reddidit. Nec his contentus, magnam vim pecunie clericis per Africam dividi iussit, datis super hac re literis ad Vrsum Rationalem Africæ, & ad Cæcilianum Carthaginensem Episcopum. Extat Epistola Constantini ad Cæcilianum in lib. 10. historię Ecclesiasticę Eusebij, quam nos brevitate studio hic prætermisimus. Sub finem hujus Epistolę Constantinus schismaticos acerbè perstringit, qui plebem Carthaginensis Ecclesię pervertere jantum moliebantur; quibus exitium minatur nisi resipuerint. Eodem tempore Epistolam scripsit ad Anulinum Proconsulem Africę de immunitate Clericorum in hæc verba:

**CONSTANTINVS MAXIMVS**  
Augustus Anulino.

*Ave Anuline charissime nobis. Cum ex multis rebus constet, religionem illam in qua summa divina Majestatis reverentia custoditur, spretam quidem maximam Republica importasse discrimina; eandem verò rite acceptam & custoditam, & nomini Romano maximam prosperitatem, & cunctis mortalium rebus, divina id tribuente beneficentiâ, præcipuam felicitatem contulisse; placuit ut homines illi, qui cum debita sanctimonia & assidua eius legis observantia ministerium suum divina religionis cultus exhibent, laborum suorum mercedem reportent. Anuline charissime nobis. Quocirca eos homines qui in provincia tibi creditam in Ecclesia Catholica cum Cæciliano præest, huic sanctissimæ religioni ministrant, quos Clericos vocare consueverunt, ab omnibus omnino publicis functionibus immunes volumus conservari, &c. quæ habentur in libro 10. Eusebij. Hanc Epistolam simul atque accepisset Anulinus, Cæcilianum Episcopum cum Clericis accersivit. Perlectoque ipsis regali præcepto, hortatus est, ut unitate facta, absque impedimento deinceps divinæ legi inservirent. Verum paucis post diebus, quidam ad juncta sibi populi multitudine Anulinum adierunt, eique duos libellos obtulerunt; alterum in aluta signatum, qui superscriptus erat hoc modo: Libellus Ecclesie Catholice criminum Cæciliani, traditus à parte Majorini. Alterum sine sigillo, coherentem eidem aluta, datum die 17. Calendas Majas Carthagine, Domino nostro Constantino Augusto III. Consule. Petieruntque ab Anulino, ut eos libellos ad principis Comitatum dirigeret. Anulinus rem haudquaquam negligendam ratus, Imperatorem de omnibus certiorém statim fecit, missâ ad eum hujusmodi relatione.*

**CONSTANTINO MAXIMO AVG.**  
Anulinus V. C. Proconsul Africa.

*Scripta caelestia Majestatis Vestra accepta atque adarata, Cæciliano & his qui sub eodem agunt, quique Clerici vocantur, de votis parvitas mea insinuare curavit; eosdemque hortata est, ut unitate consensu omnium facta, cum omni omnino munere indulgentiâ Majestatis Vestrae liberati esse videantur Catholici, custodita sanctitate legis, debita reverentia divinis rebus inserviant. Verum post paucos dies extiterunt quidam adunata secum populi multitudine, qui Cæciliano contradicendum putarent; quique fasciculum in aluta signatum, & libellum sine signo obtulerunt dicationi meæ, atque impendio postularunt, ut ad sacrum & ve-*

*nerabilem Comitatum numinis vestri dirigerem. Quæ manente Cæciliano in statu suo, subjectis eorundem actis, quo cuncta Majestas Vestra possit dignoscere, parvitas mea dirigere curavit. Extat hæc relatio Anulini apud Augustinum in Epistola 68. In qua merito quæri potest, quis sit ille libellus sine signo. Nam fasciculus quidem ille in aluta signatus, nihil aliud erat quàm libellus seu chartæ criminum Cæciliani. Illum verò libellum sine signo eidem aluta coherentem, equidem crediderim esse libellum precum, quem Episcopi partis Majorini ad Constantinum miserunt, petentes ut ex Gallia sibi iudices daret, qui inter ipsos ac Cæcilianum eiusque collegas judicarent. Exemplum hujus libelli refert Optatus in lib. 1. in hæc verba: Rogamus te d. Constantine, optime Imperator, quoniam de genere justo es, cujus pater inter ceteros Imperatores persecutionem non exercuit, & ab hoc facinore immunis est Gallia. Nam in Africa inter nos & ceteros Episcopos contentiones sunt. Petimus ut de Gallia nobis iudices dari præcipiat pietas tua. Data à Luciano, Digno, Nasso, Capitone, Fidentio & ceteris Episcopis partis Majorini. Scio in vulgatis Optati exemplaribus legi partem Donati. Sed tunc temporis dicebatur pars Majorini, quæ postea substituta in Majorini locum Donato, dicta est pars Donati, ut testatur Augustinus in Epistola supra memorata. Has igitur preces intelligi puto ab Anulino, cum ait libellum sine signo sibi traditum esse à parte Majorini. Id ut credam, facit Augustini locus in Epist. 171. ubi Donatistas sic alloquitur: Majores vestri, quorum in sacrilega præcisione perseveratis, Episcopum contra Episcopum ordinarunt; altare contra altare exserunt. Postea literas ad Imperatorem Constantinum, ut inter Afros Episcopi transmarini judicarent, miserunt. Ubi literarum nomine procul dubio intelligit Augustinus preces illas quas supra ex Optato retulimus. Cùm igitur Majores Donatistarum duos tantum libellos per Anulinum miserint ad Constantinum Imperatorem adversus Cæcilianum; & cùm alter eorum libellorum nihil aliud fuerit quàm chartæ criminum Cæciliani, profus necesse est, ut alter libellus qui signatus non erat, fuerit libellus precum quas ad Constantinum mittebant Episcopi partis Majorini. Quid quod & Balduinus idem censuit in annotationibus ad primum Optati librum, & Baronius. Confirmari id etiam potest ex Augustini Epistola 162. Indicem enim causæ aditionis eum fecerant, qui ad eum etiam preces miserant.*

**CAPUT V.**

**A**ceptâ relatione Anulini Proconsulis, & libellis eidem relationi conjunctis, Constantinus Imp. graviter commotus est; quippe qui nihil antiquius haberet, quàm ut remotis omnibus discidiis Christiana religio ubique observaretur. Statim itaque literas ad eundem Anulinum dedit, mandans ut Cæcilianum cum decem Clericis partis suæ, & adversarios Cæciliani similiter cum denis partis ipsorum Clericis Romam venire præciperet intra diem sextum Nonas Octobris, ut illis Episcopali judicio causa eorum disceptaretur. Quibus Constantini literis obtemperans Anulinus, Cæciliano & adversariis eius præcepit, ut deni ex utra-



que parte juxta jussionem Principis Romam ad causam agendam proficiscerentur. Quod cum illi se facturos promississent, Anulinus ea de re certiorum Principem fecit. Extabat hæc secunda Anulini relatio in gestis Collationis tertiæ Carthaginensis cap. 318. Sed dolendum est, postremam partem hujus collationis quæ res utilissimas & scitu dignissimas continebat, vetustatis injuriâ periisse. Sed & Augustinus in Breviario Collationis dicit tertiæ cap. 12. hujus secundæ relationis mentionem facit. Scripsit etiam Constantinus ad Miltiadem urbis Romæ Episcopum, & ad Episcopos Galliæ atque Italiæ, ut die sexto Nonas Octobris Romæ in unum congregati, inter partes æquissimam sententiam ferrent. Atque ut plenissima totius negotij instructio eis supereretur, chartas omnes & libellos sibi ab Anulino transmissos Constantinus ad eos destinavit. Extat etiamnum Epistola Constantini ad Miltiadem in libro 10. historię Ecclesiasticæ Eusebij, quam nos in Latinum sermonem ita transtulimus.

CONSTANTINVS AVG. MILTIADI  
Episcopo urbis Romæ & Marco.

Quoniam hujusmodi plures chartæ à V. C. Anulino Africa Proconsule ad me sunt missæ, in quibus continetur Cæcilianum Carthaginensis urbis Episcopum à quibusdam collegis suis per Africam constitutis multis de rebus infirmulari: Quod quidem permolestum mihi videtur, in istis provinciis quas divina providentia mea devotioni spontanea deditione tradidit, & in quibus maxima est populi multitudo, plebem quasi in duas partes divisam ad deteriora desicere, & Episcopos inter se dissentire: Placuit mihi, ut idem Cæcilianus una cum decem Episcopis qui accusare ipsam videntur, & cum decem aliis quos ipse ad suam causam necessarios esse judicaverit, Romam naviget; quatenus ibi coram vobis & coram Reticio, Materno ac Marino collegis vestris, quos etiam causâ Romam properare iussi, posse audiri, quemadmodum sanctissima legi convenire optimo nostris, Porro ut totius negotij plenissimam valeatis habere notitiam, exempla libellorum ab Anulino ad me missorum, literis meis subjuncta ad collegas vestros supra dictos transmissi. Quibus libris per penes gravitas vestra, quoniam modo supra memorata controversia accuratissime dijudicanda sit, & ex præscripto iustitie terminanda, &c. In hac Epistola Constantinus Imp. chartas vocat libellum criminum Cæciliani. Chartæ etiam dicuntur in collatione tertiâ Carthaginensi cap. 316. & apud Augustinum in Breviario eiusdem collationis.

CAPUT VI.

Cum ergo Cæcilianus unâ cum decem Episcopis partis suæ, & adversarij eius quorum caput erat Donatus Calensis Episcopus, Romam venissent, Constantino Augusto ter, & Licinio ter Coss. 6. Nonas Octobres die sexta feria, consentibus Episcopis in domo Faustæ in Laterano, Miltiade scilicet Episcopo urbis Romæ, Reticio, Materno ac Marino Episcopis Gallicanis, & quindecim Italis, quorum nomina referuntur ab Optato in libro 3. Cæciliani causa tandem cœpit agitari. Res per triduum acta est, adfidentibus Notariis qui acta

conficerent. Primo die quaeserunt iudices, quoniam essent accusatores & testes adversus Cæcilianum. Cumque Episcopi partis Majorini proferrent libellum criminum Cæciliani, qui oblati fuerat Carthagine à plebe partis Majorini, & contenderent Cæcilianum ab universâ plebe Carthaginensi accusatum habuisse: iudices eius accusationis nullam rationem habendam esse censuerunt, quippe quæ tumultuosa potius vociferatio esset plebis in conditâ, quæ certam personam non haberet. Itaque requirebant, alios sibi accusatores & testes exhiberi, qui proprio nomine accusationem delatam sustinerent. Tum accusatores & testes induciti à Donato & reliquis Episcopis partis Majorini, negrunt se habere quicquam quod adversus Cæcilianum dicerent. Post hæc Cæcilianus Donatum accusavit, quod superflite Mensurio Carthaginensi Episcopo, schisma primum fecisset Carthagine; quod rebaptizasset; quod Episcopis lapsis manum demum imposuisset. Questus item est Cæcilianus, quod Donatus & collegæ eius subtraxissent accusatores vel testes, qui simul cum ipsis ex Africa venerant, ut adversus Cæcilianum testimonium dicerent. Et Donatus quidem se rebaptizasse & Episcopis lapsis manum imposuisse confessus est. Eos autem quos causæ huic necessarios subtraxisse arguebatur, se exhibiturum esse promisit. Quod cum semel atque iterum promississet, deinceps ad illud iudicium accedere noluit; veritus scilicet, ne post tantorum criminum confessionem præsens ipse à iudicibus damnaretur, qui ad alium damnandum ex Africa venerat. Altero die datus est à quibusdam denuntiationis libellus adversus Cæcilianum. Quod cum factum fuisset, rursus agitata est cognitio, tam de personis quæ eum libellum dederant, quam de criminibus quæ in eo continebantur. Nihil tamen probari potuit adversus Cæcilianum. Tertio die actum est de Concilio Carthaginensi septuaginta Episcoporum, qui Cæcilianum & ordinatores eius damnaverant: cuius Concilij auctoritate adversarij Cæciliani maxime nitebantur, cum & Episcoporum numerum prætenderent, & ex Africa vicinisque Carthagini provinciis eosdem collectos, de rebus sibi notissimis iudicium tulisse asseverarent. Sed Miltiades & reliqui qui in eius consilio erant Episcopi, nullam Carthaginensis illius Concilii rationem habendam esse duxerunt; quippe quo Cæcilianus absens & inauditus cum collegi damnatus fuisset. Causas porro cur ad illud Carthaginense iudicium venire noluisse Cæcilianus, valde probabiles asseverabat. Nam Episcopos adversarij suis accitos esse Carthaginem, & apud eosdem diversari, cumque iis capita conferre, probè norat. Minas quoque Purpurii Limatenensis Episcopi cognitias habebat. Proinde mirum non est, si semetipsum eorum furori committere noluit, quos in perniciem suam collectos & contemptos videbat. Totam igitur causam de integro agitandam sibi remansisse iudices perspiciebant, de traditione scilicet Felicis Aptungitani Episcopi, & aliorum qui Cæcilianum ordinaverant. Verum hæc quaestio in immensum porrigi, & nexus quosdam inexplicabiles habere videbatur. Interrogandi enim erant testes; proferenda atque evolenda Gesta Municipalia, eorumque fides examinanda.



Deinde in ipsos qui Cæcilianum damnauerant, crimen traditionis à Cæciliano retorquebatur; quippe qui in Concilio Cirtenfi crimen traditionis quod confessi fuerant, sibi mutuo indulissent. Postremo superflua hæc quaestio videbatur. Neque enim tametsi Felix traditionis, crimine maculatus fuisset, continuò vitiosa erat Cæcilianus ordinatio; cum constet Episcopum quandiu locum suum retinet, nec Ecclesiastico iudicio damnatus ac depositus est, & ordinationem & reliqua Episcopalis officii mania rite posse celebrare. Quare Episcopi qui cum Miltiade sedebant, merito ab illa quaestione temperandum sibi esse existimauerunt; ne scilicet hoc factio novas potius in Africana Ecclesia turbas excitarent, quam iurgia ad iudicium suum delata componerent. Itaque hoc temperamento sententiam suam moderati sunt, ut Cæcilianum quidem innocentem esse pronuntiarent, eiusque ordinationem comprobarent: Episcopos verò qui Cæcilianum damnauerant, & qui ad eum accusandum missi fuerant, à communione sua minime remouerent. Solus Donatus à Casis nigris, utpote totius mali auctor, post gravissimum criminum confessionem, ultima Miltiadis sententia percussus est: reliquis optio data, ut si ad unitatem redire vellent, in suis honoribus permanerent, etiamsi extra Ecclesiam ordinati fuissent à Majorino: Ita ut ubicumque duo essent Episcopi, alter à Cæciliano, alter à Majorino ordinatus; is confirmaretur qui prior esset ordinatus: alteri verò alia Ecclesia regenda provideretur. Hæc partim ex collatione tertia Carthaginensis partim ex Optato; sed præcipue ex Augustini Epistola 172. collegimus. Cui jungenda est Epistola 50. ubi de hoc iudicio ita loquitur Augustinus: *Hoc erga ipsos ab initio seruauit Africana Catholica, ex Episcoporum sententia, qui in Ecclesia Romana inter Cæcilianum & partem Donati iudicauerunt, damnatoque uno quodam Donato, qui auctor schismatis fuisse manifestatus est, ceteros correctos, etiamsi extra Ecclesiam ordinati essent, in suis honoribus suscipiendos esse censuerunt. Extat quidem apud Optatum Miltiadis sententia, qua iudicium clausum esse ait his verbis: Cum consisteret Cæcilianum, ab iis quicum Donato uenerant, iuxta professionem suam non accusari, nec à Donato conuictum esse in aliqua parte consistere; sua communioni Ecclesiastica integra statu retinendum merito esse censo. Altera verò pars sententiæ, de damnatione scilicet Donati, & de susceptione Episcoporum partis Majorini, ab Optato prætermissa est. His peractis, Miltiades & reliqui Episcopi, quacumque in Concilio gesta fuerant unâ cum Actis ipsius Concilii ad Imperatorem Constantinum direxerunt, verbo etiam adfirmantes, quod iudicium suum pro rerum fuisset æquitate de promptum. Nuntiarunt præterea Imperatori, post habitum iudicium, in Africam remeasse accusatores Cæcilianus. Testatur id Constantinus in Epistola ad Elasium, quæ Concilio Arelatensi præfixa est. Porro in hoc Concilio Romano multa sunt quæ observationem merentur. Primum, quod Episcopi Gallicani ante Episcopos Italiae resederunt, adeoque ante Ostiensem & Prænestinum Episcopos, qui erant suffraganei Episcopi Romani, & qui Cardinalium Episcoporum titulo postea sunt insigniti. Cur*

autem id factum sit, difficile est dicere. An ob dignationem Episcopo um Gallia; an propterea quod iudices ab Imp. nominati fuerant cum Miltiade, cum Episcopi partis Majorini iudices sibi dari ex Episcopis Gallia postulassent. Deinde notanda est in primis indulgentia Miltiadis, qui Episcopos à schismaticis extra Ecclesiam ordinatos, in suis locis atque honoribus suscipiendos censuit, si ad unitatem Ecclesie Catholice redire uoluissent. Quod quidem insigne est exemplum dispensationis Ecclesiasticæ. Itaque merito Augustinus hanc paternam Miltiadis providentiam laudans exclamat his uerbis: *O uorum optimum! o filium Christiana pacis! o patrem Christiana plebis!*

## CAPUT VII.

Post Concilii Romani iudicium, Episcopi partis Majorini statim in Africam remearunt, ut docet Epistola Constantini ad Elasium. Jam certe post gravissimam iudicii Episcopalis auctoritatem, omnis contentions ac dissensionis pernicia penitus extincta esse uidebatur: nemoque erat qui non crederet finem impostum esse pestiferæ seditioni, quæ à maleuolis ac temerariis hominibus commota fuerat. Verùm seditioni in pernicia schismatis sui nihilominus perseverauerunt, tantumque abfuit, ut Episcopalis iudicii lenitate correcti ad unitatem & concordiam Catholice communionis reverterentur; quin potius tanquam exasperati & effertati novos tumultus per Africam concitare ceperunt. Ausi sunt etiam iterum adire Constantinum Imperatorem, missis quibusdam e suo numero, qui Cæcilianum indignum esse sacerdotali officio criminarentur. Quibus cum respondisset Constantinus frustra eos id iactare, cum ab idoneis & probatissimis Episcopis in Concilio Romano causa omnis jam fuisset terminata, obnixè illi ac pertinaciter reclamauerunt, causam omnem illic auditam non fuisse; sed paucos Episcopos quodam loco se clausisse, & prout ipsi aptum fuerat, iudicasse. His permotus Constantinus, ut dissensiones quæ augeri in dies uidebantur, tandem aliquando componeret, omnemque deinceps tumultuandi occasionem seditionis adimeret, aliud rursus Concilium longe priore numerosius, indixit apud Arelatum Gallia civitatem: Nimis profecto humaniter ac benigne cum schismaticis agens, quos potius repellere, utpote obstinatos, nec sacerdotali iudicio acquiescentes, & debito supplicio afficere debuisset. Scripsit igitur Constantinus ad Elasium, seu ut alii legunt, ad Ablabium Vicarium Africae, ut tam Cæcilianum cum aliis Episcopis quos ille causa sua idoneos esse existimasset, quam adversarios eiusdem Cæcilianus, ad urbem Arelatensem properare præciperet intra diem Calendarum Augustarum. Scripsit etiam ad Chrestum Syracusanorum Episcopum, & ad alios Antistites: quos intra memoratum diem Arelatum conuenire iussit. Literas quidem ad Chrestum datas refert Eusebius in libro 10. historiae. Eodem tamen exemplo ad reliquos Antistites scriptas fuisse credibile est. Sed antequam de Arelatensi Concilio plura dicamus, eluendus est error longe grauisissimus, qui hæcenus omnium parte animis inhaerit. Nam & Balduinus & Baronius, eosque



secutus Petavius noster crediderunt, Episcopus partis Majorini à Concilio Romano & sententia Miltiadis Papæ ad Constantinum Imp. provocasse: eamque fuisse primam illorum appellationem. Ego verò certissimi testimoniis evincere paratus sum, nunquam illos à iudicio Miltiadis & Concilij Romani appellationem interposuisse. Primus testis est omni exceptione major Constantinus, qui in Epistola ad Elasium, seu ut alij legerè malunt, ad Ablabium Vicarium Atricæ, causas afferens ob quas Arelatense Concilium indixerat, ita loquitur: *Vnde propter hæc omnia probabili verum estimatione speraveram, quod omnibus omnino seditionibus & contentionibus qua ab iis hominibus videbantur subito commota, finis debitus fuisset impositus. Sed cum dicationis tua scripta legissem, qua ad Nicæsum & ceteros super hisdem simulationibus gravitatem mittenda crediderat, evidenter agnovi, quod neque respectum salutis suæ, neque quod est majus, Dei omnipotentis venerationem ante oculos suos velint ponere. Siquidem ea agere persistunt, que non modo ad ipsorum dedecus infamiamque pertineant; sed etiam iis hominibus detrahendæ dæni facultatem, qui longe ab hujusmodi sanctissima observantia sensus suos noscuntur avertere. Nam id quoque te scire convenit, quod ex istis venerunt: adferentes quod tamen dignus idem Cæcilianus cultu sincerissima religionis habeatur. Et contra id quod istis responderam frustra eos id jactare, cum res fuissent apud urbem Romam ab idoneis Episcopis revocata, pertinaciter respondendum estimaverunt, quod omnis causa non fuisset audita: sed pauci quidam Episcopi quodam loco se clausissent, & prout ipsi aptum fuerat, judicassent. Idem etiam scribit Constantinus in Epistola ad Chrestum Episcopum. Nullum hic verbum de appellatione Donatistarum. Sed si hoc testimonium non sufficit. Augustino certe contradici non potest, qui id clarissime affirmat tot in locis, ut mirer hoc à viris doctissimis observatum non fuisse. Nam in libro 2. contra literas Petiliani cap. 92. sic ait: *Si autem quod verum est, penitentibus majoribus vestris Episcopale iudicium dederat Constantinus, & apud Romam, & apud Arelatum; quorum primum apud eum accusastis; ab altero ad eum appellastis, &c. Idem dicit Augustinus in Epist. 68. Iam utique post pacificum moderamen iudicij Episcopalis (Concilium Romanum intelligit) omnis contentio & animositatis pertinacia debet extingui. Sed rursus majores vestri ad Imp. redierunt, & non recte iudicium, neque omnem causam auditam esse conquesti sunt. Vnde ille aliter Episcopale iudicium dedit, habendum in Arelatenfi Gallie civitate, &c. Sed & in Epist. 162. id ipsum manifeste testatur his verbis: *Iudices enim Ecclesiasticos tanta auctoritatis Episcopos, quorum iudicio & Cæciliani innocentia & eorum improbitas declarata est, non apud alios collegas, sed apud Imp. accusare ausi sunt, quod male iudicavit. Dedit ille aliud Arelatense iudicium, aliorum scilicet Episcoporum; non quia iam necesse erat, sed eorum perverstitibus cedens, & omnimodo cupiens tantam impudentiam cohibere. Neg enim ausus est Christianus Imp. sic eorum tumultuosas & fallaces querelas suscipere, ut de iudicio Episcoporum qui Romæ sedebant ipse iudicaret: sed alios, ut dixi, Episcopos dedit. A quibus tamen illi ad ipsum rursus Imp. pro-***

*vocare maluerunt. Qua in re illos quemadmodum detestetur audistis. Adde Epist. 165. eiusdem Augustini, in qua hæc leguntur: *Gesta quoque in urbe Roma, ubi ab Episcopis quos ille miserat, causa cognita atque discussa est. Itemque alias literas, ubi dicitur memoratus Imp. eos apud se collegarum suorum iudicio, id est, Episcoporum quos ad urbem Romam miserat, fuisse conqueistos: ubi etiam alios Episcopos voluit apud Arelatum iudicare: ubi isti & ab ipsorum iudicio ad eundem Imp. appellaverunt. Et insequente Epistola rursus ita loquitur: *Sed quia Constantinus non est ausus de causa Episcopi iudicare, tam descruendam ac finiendam Episcopi delegavit. Quod & factum est in urbe Roma presidente Miltiade Episcopollis Ecclesia cum multis collegis suis. Quicum Cæcilianum innocentem pronuntiassent, & Donatum quæschisma Carthagini fecerat, sententia percussissent, iterum vestri ad Imp. venerunt, & de iudicio Episcoporum in quo victi fuerant, mirmurarunt. Quo modo enim potest malus litigator laudare iudicem, quibus iudicantibus victus est? Iterum tamen clementissimus Imp. alios iudices Episcopos dedit apud Arelatum Gallie civitatem, & ab ipsis vestri ad ipsum Imp. appellaverunt. Quid apertius tot testimoniis Augustini? Cum enim majores Donatistarum duobus Episcopalis iudicij damnatos esse asserunt, Romani scilicet Concilij & Arelatenfis; de priore quidem eos murmurasse & conqueistos esse scribit, & accusasse iudices suos: à posteriore autem Concilio provocasse. Omitto locum ejusdem Augustini ex libro de unico baptismo, & ex libro de unitate Ecclesie cap. 18. & ex Homilia secunda in Psalmum 36 & ex lib. 4. contra Cresconium cap. 7.***

## CAPUT VIII.

**S**ed opponitur nobis Optati testimonium, quia in libro primo disertissime asserat, Donatistas à Concilij Romani sententia appellationem interposuisse. Equidem negare non possum id ab Optato relatum esse. Sed adversus Constantini Imp. testimonium, adversus tot loca Aurelij Augustini, qui post Optatum totam hujus schismatis causam longe diligentius inquisivit, leve profecto mihi videtur parvique faciendum illud Optati unius testimonium: cum præsertim corruptos esse eo loco et mutilos Optati codices, jure quis posse suspicari. Id enim placuisse video F. Balduino. Sed concedamus integros in hac parte esse codices Optati, nec ullo librario vitio depravatos. Certe Optatum Dispensa etrasse fateamur necesse est, qui Donatum à Concilij Romani sententia appellasse asserat: ad quam appellationem Constantinus Imp. sic responderit: *Orabida furoris audacia. Sicut enim causis Civitatum solet, appellationem interposuerunt. Atque constat, Constantinum in hæc verba exclamasse post iudicium Arelatenfis Concilij, cum Donatista ab eo iudicio provocassent. Exat enim Constantini Imperatoris Epistola ad Episcopos scripta post Arelatense Concilium, in qua leguntur hæc verba ab Optato relata. Scio quidem Illustrissimum Cardinalem Batonium existimasse, hanc Epistolam Constantini scriptam esse ad Episcopos qui Concilio Romano interfuerant. Sed eius sententiam refellit Augustinus in Epistola 162. cujus verba jam supra protulimus. Sic autem habent: *Negue**



enim ausus est Christianus Imp. sic eorum tumultuosus & fallaces querelas suscipere, ut de iudicio Episcoporum qui Roma sederant, ipse iudicaret: sed alios, ut dixi, Episcopus dedit; à quibus tamen illi ad ipsum rursus Imp. provocare maluerunt. Quia in re illos quoadmodum detestetur audis. Intelligit procul dubio Epistolam Constantini ad Episcopos, qui in Arelateni Concilio iudices federant; in qua Constantinus appellationem Donatistarum ab Episcopali iudicio interpositam gravissimè detestatur. Sane in Gestis purgationis Cæciliani & Felicis, hæc Constantini Epistola subiungitur Concilio Arelateni: quod secutus Jac. Simonius in collectione Conciliorum Gallie, merito eam Epistolam Arelateni Concilio subiecit. Quisquis certe eam Epistolam legerit, nunquam dubitabit, quin ad Arelatense Concilium potius spectet, quam ad Romanum. Et enim statim post iudicium Synodi Romanæ, Episcopi partis Majorini reversi sunt in Africam, ut docet Constantinus in Epistola ad Elasium. In Epistola verò de qua nunc agitur, ait Constantinus se misisse quosdam è suis hominibus, qui obstinatos illos & Episcopali iudicio parere recusantes, ad Comitatum suum perducant. Quare hæc Epistola ad Concilium Romanum pertinere non potest. Erravit igitur Optatus, qui verba huius Epistolæ ad Concilium Romanum retulit; memoriæ vitio in eum errorem, ut videtur, inductus. Simili errore idem Optatus scribit, Constantinum ad preces Episcoporum partis Majorini, qui iudices ex Gallia sibi dari postulaverant, his verbis respondisse: *Petitis à me in sæculo iudicium, cum ego ipse Christi iudicium expectem.* Et tamen constat, Constantinum nihil referripisse precibus illorum; sed tantum ad Anulinum Proconsulem, & ad Militiadem Episcopum literas dedisse. Verba autem illa quæ ab Optato referuntur, sunt ex Epistola Constantini ad Episcopos Arelateni Concilii: *Qua in ipsi tanta vesania perseverat, cum incredibili arrogantiâ persuadent sibi qua nec dici, nec credi fas est; desidentes à recto iudicio dato, pro quo meum iudicium comperi eos postulare. Qua vis malignitatis in eorundem peccatoribus perseverat? Quoties à me iam ipso, improbissimis aditionibus suis sunt condigna responsione oppressi. Qui uique si hoc ante oculos habere voluissent, minime hoc ipsum interposuissent. Meum iudicium postulanti, qui ipse Christi iudicium expecto.*

## C A P. IX.

**S**Ed nunc ex diverticulo in viam redeunt, cæptum narrationis ordinem persequamur. Inter Episcopos qui ad Arelatense Concilium invitati sunt, fuit etiam Romanæ urbis Episcopus. Id conjicio partim ex Epistola synodica eum Episcopi ad Silvestrum Papam direxerunt, eum salutantes his verbis: *Et utinam, frater dilectissime, ad hoc tantum spectaculum interesse tantis fecisses. Profecto credimus quia in eos severior fuisset sententia probata: & te pariter nobiscum iudicante, cæcus noster maiore lætitia exultasset. Sed quoniam recedere à partibus illis minime potuisti, in quibus Apostoli quondam sedent, &c.* Partim verò id ipsum colligitur, ex eo quod Legati Silvestri Papæ cum reliquis Episcopis huic Synodo subscriperent, duo scilicet Presbyteri ac toti-

dem Diaconi. Cum enim Constantinus Imp. hoc Concilium collegerit, & Episcopos iudices dederit, certum est non alios iudices in hoc Concilio esse potuisse, quam quos ad Synodum evocaverat Imperator. Proinde cum Legati à Silvestro missi interfuerint Arelateni Concilio, fateamur necesse est, Silvestrum quoque una cum ceteris ad hanc Synodum invitatum fuisse. Idque prudenti consilio, seu ab Imperatore Constantino, seu ab ipsa Episcopis factum videtur. Cum enim ob assiduas interpellationes Antistitum partis Donati, placuisset Imp. Constantino causam illam, quæ Militiadis Papæ sententiâ terminata jam fuisset, iterum ventilare, invitandus necessariò fuit Romanus Episcopus; ne de sententiâ ejus cuius maxima erat in Ecclesia auctoritas, minoris dignitatis Episcopi absque ipsius consensu cognoscere voluisse viderentur. Porro etsi ex plurimis orbis Romani provinciis Episcopos ad hoc Concilium evocaverit Constantinus, major tamen fuit illic numerus Antistitum Gallicanorum. Sexdecim enim Galliarum Episcopi in subscriptionibus numerantur. Inter quos fuerunt Marinus, Reticius & Martenus: iidem ipsi qui Synodo Romanæ superiore anno interfuerant. Ex quo utique apparet, verissimum esse id quod superius observavi, Donatistas scilicet non appellasse à sententiâ Synodi Romanæ. Nam si appellationem interposuissent à Romano Concilio, non iidem ipsi iudices eis dati fuissent Arelate, quorum sententiâ Romæ prius fuerant condemnati. Cur verò Constantinus tot ex Gallis Episcopos Arelateni Concilio interesse voluerit, hæc præcipue causa videtur fuisse, quod Episcopi partis Majorini, missi ad Constantinum libello, ut superius dictum est, iudices sibi ex Gallia tribui nominatim postulaverant. Præfuit etiam Concilio Marinus Arelateni Episcopus, in cuius Ecclesia Concilium erat congregatum. Docet id Epistola Synodica, in qua Marini nomen ceteris præponitur. Quod si quis objiciat, in subscriptionibus Episcoporum Chrestum Syracusanorum Episcopum principem locum obtinere, non ex eo statim concludendum est, Chrestum Arelateni Concilio præsedisse. Nihil enim incertius, nihil mendosius esse solet hujusmodi subscriptionibus. Cum enim Episcopi decretis Conciliorum subscriberent eodem ordine quo in Concilio sederant, nequaquam tamen hic sessionis ordo vulgò servatur in subscriptionibus Conciliorum quas habemus; sed per provincias distribuuntur Episcopi. Quod quidem à librariis factum existimo in ple-risque veteribus Conciliis, dum legentium utilitati consultum voluit. Quare cum ex hujusmodi subscriptionibus nihil certi elici possit, recurrendum est ad Epistolam Synodicam: cujus hæc in re plurimum apud nos valere debet auctoritas. De numero autem Episcoporum qui huic Synodo interfuerunt, non levis dissensio est. In Epistola quidem Synodica tres ac triginta dentaxat nominantur, cum tamen in subscriptionibus quatuor supra quadraginta numerari videamus. Cujus discriminis hæc probabilis ratio afferri potest, quod in Synodica quidem ii tantum commemorantur Episcopi, qui Concilio interfuerunt: in subscriptionibus verò, etiam Presbyterorum nomina referuntur.



tur, qui ab Episcopis ob certas causas absentibus A missi fuerant ad Synodum. Quod autem Baronius ducentos Antislites huic Concilio interfuisse scribit ex libro primo Augustini adversus Parmenianum cap. 5. in eo manifeste halucinetur. Neque enim de Arelatensi Concilio ibi loquitur Augustinus, sed de Concilio Romano: cui non ducenti, sed novemdecim tantum Episcopi interfuerunt, ut inter omnes constat. Quare apud Augustinum pro 200. scribendum est 20. Frustra etiam idem Baronius censet desiderari nomina multorum Episcoporum, qui Arelatensi Concilio interluerunt: atque inter hos nomina duorum ex Sicilia Episcoporum, quos iuxta mandatum Constantini, Chrestus Syracusanorum Episcopus secum perduxit ad Synodum. Quasi verò Imperator Constantinus præceperit Chresto, ut duos secum Episcopos adduceret. Extat certe Epistola Constantini ad Chrestum, qua Constantinus ei permittit, ut duos secundi loci sibi comites adsumat: quod de presbyteris intelligendum esse, in annotationibus nostris ad Eusebii librum decimum fuisse demonstravimus. Nec tamen Chrestus facultate ad Imp. sibi concessa uti voluit, sed unum duntaxat Diaconum sibi comitem elegit; seu quòd presbyterorum præsentia ac ministerio carere Ecclesiam suam nollet; seu ob aliam quampiam rationem. Quod verò ad Constantinum ipsam attinet, existimavit quidem Baronius eum Arelatensi Concilio interfuisse. Sed cum nemo ex veteribus, ac ne ipse quidem Augustinus, qui tamen de hoc Concilio sæpissime locutus est, id unquam affirmaverint, non possumus Illustrissimo ac doctissimo Cardinali assentiri. Certe ex Epistola quam Constantinus scripsit ad Episcopos post Synodum Arelatensem, manifestissime colligitur eum Synodo non interfuisse. Scio quidem Baronium supra memoratam Epistolam retulisse ad Synodum Romanam. Verum certissimis argumentis paulo ante à nobis demonstratum est, hanc Epistolam Constantini ad Arelatense Concilium pertinere. Quod si Imperator huic Synodo interfuisset, quonam modo ausi fuissent Donatistæ ab ejus Synodi sententia ad Imperatoris iudicium provocare. Quid enim hoc aliud erat quam ab Imperatore ipso appellare?

## CAPUT X.

Congregati igitur Episcopi in civitate Arelato, Calendis Augusti, Volusiano II. & Anniano Coss. anno natalis Dominici 314. primò quidem causam Cæciliani discutere ceperunt. Duo criminum genera objiciebantur Cæciliano, quorum alià ipsum Cæcilianum, alià ordinatores Cæciliani pulsare videbantur. Arguebatur enim quòd cum esset adhuc diaconus, jussu Mensurii Carthaginensis Episcopi ad limina carceris publici, in quo martyres vincti erant, cum loris & flagris & armorum multitudine stans, alimenta martyribus afferri prohibuisset, ut scribit Augustinus in Breviario collationis tertie, & Donatista quidam in historia passionis Sanctorum Dativi, Saturnini & sociorum. Alterum crimen erat, quòd à traditoribus sacrorum voluminum ordinatus fuisset Episcopus. Verum Episcopi qui ad hujus causæ iudicium conveniant, cum accusationem illam & probationibus

& omni ratione destitutam viderent, accusatores ipsos prout in Synodo Romana factum jam fuerat, partim damnarunt, partim repulerunt. Quibus peractis, antequam singuli ad sedes suas reverterentur, visum est ipsis quædam ex communi consilio decernere, quæ & præsentium rerum statui accommodata, & in perpetuum utilitatibus Ecclesiæ essent profutura. Eos canones una cum Gestis Concilii ad Silvestrum Papam transmiserunt, ut per eum, quippe qui Apostolicæ cathedræ principatum obtinebat, reliquis Ecclesiis innotescerent. Scriptæ sunt etiam ab iisdem literæ ad Constantinum Imp. quibus Gestæ Ecclesiastica, datumque inter partes iudicium, & obstinatam damnatorum perveraciam ei significarunt. Nam post auctoritatem iudicii Episcopalis, multi ex parte Donati damnatâ pristinâ dissensione, cum Cæciliano in concordiam redierant. Quidam verò pertinacissimi ac litigiosissimi, ab Episcopali sententia ad Imp. provocaverant, ut ait Augustinus in Epistola 66. Quo nuntio accepto, Constantinus tantopere commotus est, ut in Epistola quam rescriptit ad Episcopos adhuc in urbe Arelato consistentes, acerbissime eos homines detestatus, officinam diaboli eos vocare non dubitavit. Milites etiam ac Tribunos è palatio suo misit, qui nefarios illos homines ad Comitatum suum perducerent; malum iisdem minitans, nisi quamprimum resipuissent. Sed & literas dedit ad Vicarium Africæ, ut quicumque ejusdem insanæ ac furoris consilii in illis partibus essent deprehensæ, sub idonea prosecutione statim ad palatium suum mitterentur. Interim verò Episcopis apud Arelatum residentibus præcepit, ut patientiam nihilominus adhiberent, data schismaticis adhuc optione eligendi utrum malletent. Ac si quidem eos in eadem vesania perseverare animadvertent, protinus ad proprias sedes singulis se reciperent. Hæc Constantinus in Epistola ad Episcopos. Ex quibus perspicitur, quam profusa fuerit lenitas ac benignitas Imperatoris Constantini, qui effrenatæ mentis hominibus, altero jam Episcoporum iudicio damnatis, dilationem adhuc à Sacerdotibus dari voluit, ita ut si ad pacem & unitatem Ecclesiæ redire vellent, integro statu sacerdotii susciperentur. Sed interdum plus nocet lenitas quam sævitas; dum improbus quisque principis clementiâ non tam ad emendationem provocatur, quam ad majorem licentiam impellitur. Atque idcirco maxime Imperium Constantini plerique reprehendendum putarunt, quòd adversus improbos homines, multorum & gravissimorum factorum reos, nimis clementer ageret Imperator, ut in ejus vita notat Eusebius.

## CAPUT XI.

Dum hæc in Galliis geruntur, in Africa causa Felicis Aptungensis Episcopi ab Aliano Proconsule discussa est. Nam cum Donatistæ de Synodo Romana frequentissimè conquesti essent apud Imperatorem Constantinum, affirmarentque non omnem causam illic ab Episcopis auditam fuisse. Neque enim de Felice & reliquis ordinatores Cæciliani, quos Donatistæ traditionis reos esse dicebant, inquirendum esse censuerat Mil-



tradis: Imperator omnem criminandi ansam i-  
 p̄sis volens adimere, mandavit Veto agenti Vica-  
 riam Præfecturam per Africam, ut de crimine tra-  
 ditionis quod Felici Episcopo objiciebatur, dili-  
 genter inquireret. Sed dum Verus iustionem prin-  
 cipis exsequi aggrediretur, in difficilem ac diutur-  
 num morbum incidit. Quare Ælianus Proconsul  
 Africæ, mandato Principis partes Vicarii agendas  
 suscepit, & negotium Felicis ad examen & jurisdi-  
 ctionem suam revocavit. Inductus est in iudicium  
 Claudius Saturianus, seu Saturninus, ut vocatur  
 in Epistola Constantini ad Probianum, qui fuerat  
 curator civitatis Aptungensium tempore persecu-  
 tionis, id est, Diocletiano VIII. & Maximiano VII.  
 Coss. ut ex gestis municipalibus, quæ ab ipso confe-  
 cta erant, eo quem dixi anno, perspicere possit utrum  
 Felix Episcopus Aptungensium sacros codices cre-  
 mandos tradidisset. Exhibitus etiam est Calidius  
 Gratianus, Curator ejus anni quo quæstio agitaba-  
 tur, ut felicet acta municipalia superioris temporis  
 Magistratum in iudicium afferret. Hic Calidius  
 Junior vocatur à Constantino in Epistola ad Pro-  
 bianum; ad distinctionem scilicet Calidii Saturiani  
 seu Saturnini. Ita enim legendum est in Optati  
 lib. 1. Præter hos exhibitus est in iudicio Superius  
 Stationarius, Solon servus publicus, & Ingentius  
 Scriba, & Alsius Cæcilianus, qui fuerat Magistra-  
 tus seu Duumvir municipii Aptungensium tem-  
 pore persecutionis. Idcirco autem inductus est Sta-  
 tionarius, quod cum Christiani cogentur à Cur-  
 atoribus & Magistratibus scripturas tradere ex  
 præcepto Imp̄. milites secum habere solerent &  
 Officiales; Centuriones videlicet ac Beneficiarios,  
 ut patet ex Epistola Secundi Tigistiani ad Mensu-  
 rium, quam refert Augustinus in Breviario. Male  
 in Optati libro *super Stationarius* legitur confusis  
 vocibus, cum scribendum sit *Superius Stationarius*.  
 Male etiam in Epistola Constantini ad Probianum  
 quam refert Augustinus in libro 3. contra Cresco-  
 nium, legitur *Superius Saturianus*. Rectius in Epi-  
 stola 68. ejusdem Augustini *Superius Centurio* no-  
 minatur. His omnibus quos supra memoravi ad  
 instructionem causæ Felicis exhibitus in iudicio  
 Proconsulari, Ælianus Proconsul cognitionem  
 exorsus est. Lecta sunt primò Acta municipalia.  
 Interrogati Saturninus & Calidius Junior Curato-  
 res, & Superius Stationarius, & Cæcilianus Duum-  
 viralis. Ex quorum responsis ac professionibus, Fel-  
 icem Episcopum integrum esse constat à tradi-  
 tione sacrorum librorum. Ingentius verò Episto-  
 lam Cæciliani & Acta Municipalia falsasse con-  
 victus, in carcerem missus est, ut artiori interro-  
 gationi servaretur. Extat sententia Æliani Pro-  
 consulis in libro 1. Optati, & in Gestis purgatio-  
 nis Felicis, quæ ex Appendice Optati jamdudum  
 edidit Papius Massonus. Sed dolendum est ma-  
 ximam partem horum Gestorum Proconsularium  
 temporis injuriâ periisse. Desideratur enim pars  
 prior, in qua Acta Municipalia & interrogatio-  
 nes ac professiones Curatorum ac Stationarii con-  
 tinebantur. Porro Ælianus Proconsul causam Fel-  
 icis audivit, Volusiano & Anniano Coss. quinto-  
 decimo Calendas Martias, id est, post menses fer-  
 me quatuor à iudicio Miltiadis, ut scribit Augustinus

in libro ad Donatistas post collationem. Quod ta-  
 men non ita accipiendum est, quasi eo ipso die causa  
 terminata ac iudicata sit. Neq; enim intra unius diei  
 spatium, tot Gestorum documenta perlegi, tot per-  
 sonarum interrogari potuerunt. Quare necesse est, ut  
 in plures dies protracta sit tantæ causæ cognitio. Cer-  
 te in Gestis purgationis Felicis, Cæcilianus Duum-  
 vir auditus dicitur esse ab Æliano, Volusiano & An-  
 niano Coss. 13. Calendas Septembres, id est, sexto  
 mense post iudicium inchoatum. Nam ob necessita-  
 tes publicas & provinciæ negotia, ut credibile est,  
 hanc quæstionem intermiserat Ælianus. Cum ergo  
 dicit Augustinus, causam Felicis ab Æliano auditam  
 fuisse 15. Calendas Martias, intelligere debemus tunc  
 primò audiri cœpisse. Ut cum idem Augustinus eo-  
 dem in loco scribit Miltiadem iudicasse 6. Nonas O-  
 ctobris, Constantino ter & Licinio ter Coss. intelli-  
 gendum est eo primum die iudicium de causa Cæci-  
 liani coram Miltiade habitum fuisse. Triduo enim  
 tunc actum est, ut supra docui ex Gestis collationis  
 Carthaginensis. Proinde parum necessaria est Baro-  
 nii emendatio, qui in Gestis purgationis Felicis, Ca-  
 lendas Martias restituit pro Calendis Septembris.  
 His confectis, Ælianus Proconsul relationem misit  
 ad Constantinum cum Actis Proconsularibus apud  
 se habitis. Hæc quidem Æliani relatio hodie non  
 extat; sed ejus mentio fit in Collatione tertia Car-  
 thaginensi cap. 559. & apud Augustinum in Breviario.  
 Constantinus quoque in Epist. ad Probianum, Acta  
 Proconsularia in negotio Felicis Episcopi ab Æli-  
 ano ad se missa esse testatur. Porro quod ait Augu-  
 stinus in lib. 2. Retractionum cap. 27. absolutio-  
 nem Felicis præcessisse absolutionem Cæciliani, id  
 intelligendum est de secunda ac tertia Cæciliani ab-  
 solutione; non autem de prima, qua absolutus est in  
 Concilio Romano. Nam Augustinus in eo fallus  
 fuerat, quod absolutionem Felicis post iudiciū Con-  
 stantini Imp. quo absolutus fuerat Cæcilianus, secu-  
 tam esse crederat. Quem quidem errorem suum re-  
 tractat etiam in cap. 34.

## CAPUT XII.

Finito Arelatensi Concilio, Donatistæ qui ad Im-  
 peratoris Comitatum perducti fuerant, ut ob  
 appellationis suæ contumaciam plecterentur; partim  
 per se, partim per suffragatores quos in palatio  
 habebant, Imperatorem interpellare non des-  
 titerunt, ut ipse inter partes iudicium deprome-  
 ret. Quod cum initio averatus esset Constanti-  
 nus, sicut ipse testatur in Epistola ad Episcopos  
 Synodi Arelatensis; tandem continuis Donatista-  
 rum aditionibus, & adulatorum quorundam con-  
 siliis cessit, ut rem Episcopali iudicio terminatam  
 ipse laicus denuo retractaret. Ac primo quidem  
 Cæcilianum ex Africa accersere decreverat. Postea  
 verò mutata sententia, Episcopos partis Donati in  
 Africam reverti iussit, ut illic juxta postulationem ipso-  
 rum, causa omnis quæ ipsis adversus Cæcilianum com-  
 petebat, ab amicis seu iudicibus ab ipso Imp. delectis  
 audiri ac terminari posset. Verum Constantinus pau-  
 cos post dies mutato consilio, Cæcilianum potius ex  
 Africa evocare constituit, ut ipse præfens causam in-  
 ter partes iudicaret; veritus scilicet, ne si ab aliis ju-  
 dicaretur, veritas scilicet, ne si ab aliis ju-



dicibus in Africa causa esset terminata, Donatistæ ut A  
erant pervicaci atque obstinato animo, rei iudicatæ ac-  
quiescere recusarent. Literas itaque dedit ad Cæcilia-  
num Episcopum, mandans ut intra certum diem  
Romæ sibi ad causam agendam occurreret. Sed &  
adversarius ejus præcepit, ut illic sibi præto essent;  
pollicitus ipsis, si Cæcilianum vel unius criminis  
reum possent præsentem convincere, tantumdem  
id apud se fore, ac si universa quæ objiciebant cri-  
mina probavissent. Hæc Constantinus in Epistola  
ad Episcopos partis Donati, quæ in appendice O-  
ptati est edita. Eodem tempore Constantinus Epi-  
stolam scripsit ad Petronium Probianum Procon-  
sulem Africa, jubens ut Ingentium Scribam pub-  
licum, qui superiore anno in iudicio Aliani Pro-  
consulis falsi convictus atque confessus in vincu-  
lis tenebatur, ad Comitatum mitteret; quod scilicet B  
adversarius Cæciliani quotidie Imperatorem inter-  
pellantibus coram inimari posset, frustra eos Cæ-  
ciliano Episcopo invidiam comparare, & adver-  
sus ipsum insurgere voluisse. Verba sunt hæc Con-  
stantini in Epistola ad Probianum, quam refert Au-  
gustinus in Epist. 68. & in libro 3. contra Cresco-  
nium. Eiusdem Epistolæ mentio fit in collatione  
tertia Carthaginesi, & in Augustini Breviario. Cõ-  
sul quidem ei Epistolæ minime adscriptus est. Ve-  
rùm cum ex codice Theodosiano in titulo de Appel-  
lationibus constet, Probianum Proconsulem Africa  
fuisse Constantino IV. & Licinio IV. Coss. itemque  
Consulata Sabini & Rufini, prorsus eam Epistolam  
Consulatu Constantini & Licinii IV. datam esse o-  
portet. Adde quod Alianus prædecessor Probiani  
in ea Epistola dicitur. Quare cum Alianus Consulatu  
Volustani & Anniani Proconsul Africa fuerit, ne-  
cessario dicendum est Probianum Constantino &  
Licinio IV. Coss. Proconsulatum Africa admini-  
strasse. Ex quo refellitur obiter Baronii sententia,  
qui hanc Epistolam ad Probianum scriptam esse cen-  
suit ante Arelatense Concilium, & Ingentium Epi-  
scopis ibi confidentibus exhibitum tu se affirma-  
vit. Cum dies ab Imp. constitutus jam adesset,  
Cæcilianus Episcopus nescio quam ob causam, Ro-  
mæ sicut jussum erat non occurrit. Quod cum ad-  
versarii ejus criminarentur, & Constantinum ur-  
gerent, ut adversus contumacem & imperiali ju-  
dicio causam suam subicere recusantem, sententiam  
promeret, Imperator dilatione data præcepit, ut  
partes Mediolani sibi occurrerent. Tum verò  
quidam ex parte Donati, ægre ferentes quòd Con-  
stantinus Cæcilianum absentem damnare nolisset,  
ipsumque Cæciliano favere ac sibi inensum esse su-  
spicati, fuga se subtrahere conati sunt. Quòd ubi  
comperit Imp. reliquos ab officialibus custodiri ac  
Mediolanum perducere iussit. At Donatistæ qui se  
ex comitatu furtim subtraxerant, cum in Africam  
pervenissent, novos illic tumultus ac seditiones ex-  
citarunt: adeò ut Domitio Cello Vicario Africa,  
qui tum pacandis per Africam rebus iussu princi-  
pis incumbere, plurimum negotii ac molestiæ fa-  
cescerent. Eorum Dux ac signifer erat Menalius  
Episcopus urbis eujusdam in Numidia, is qui olim  
ad Cirtense Concilium evocatus, timensque ne  
thurificasse à suis civibus argueretur, simulato ocu-  
lorum dolore ad Concilium venire recusavit, ut

scribit Optatus in libro 1. Missa igitur ad Principem  
relatione Cællus Vicarius hunc potissimum, utpote  
præcipuum seditionis auctorem, infirmulaverit. Cui  
referens Imperator mandavit, ut seditiones quæ  
missos faceret, eorumque facinus in præsentia distin-  
daret: nuntiaret autem tam Cæciliano quam adver-  
sariis ejus, se protinus in Africam esse venturum, &  
adhibitis lætissimis iudiciis de causa disticiu co-  
gniturum; & quoscumque auctores nefandis erroris,  
ac turbarum concitatores esse deprehendisset, de  
gravissimas poenas sumpturum se esse. Extat hæc E-  
pistola in appendice Optati, sed mendis plurimis de-  
formata: quam prout legi debet, hic apponam.

CONSTANTINUS MAXIMUS AUG.  
Cello Vicario Africa.

*Perseverare Menalium in ea quam jam dudum sus-  
ceperat insana, ceterosque qui a veritate Dei digressi  
errori se pravisimo dederunt, proxima etiam tua  
gravitatis scripta testata sunt: quibus inhaerenti te jus-  
sioni nostræ, temeritate seditionis ipsorum, cogere tumul-  
tu quæ apparabant, inhibitu esse memorasti, frater casti-  
simo. Unde quoniam ex eo patuit, ipsos nefarios reser-  
gisse, quòd cum stanssem inter ipsos & Cæcilianum  
plenisimè super allegationibus diversis requirere, præ-  
sentia mea se suscepta fugâ subtrahere laboraverunt;  
hoc ipso turpissimo facto confessi ad ea se redire propo-  
rare qua & antea fecerant, & nunc agere perseverant.  
& cum constet minime unumquemque propria penitus  
delicta invari, etiamsi paulisper eorum fuerit coercitio  
dilata, mandandum gravitatis tua duxi; ut interim  
quidem eosdem omittas, &c. Ac rectè quidem Baro-  
nius ad annum Christi 316. Constantinum in hac E-  
pistola loqui censuit de fuga illa Donatistarum qua  
se ex Comitatu subtraxerant, cum eos Mediolanum  
occurrere Imperator iussisset. Quo quidem nihil veri-  
us. Nam Augustinus in Epist. 162. ubi eam rem nar-  
rat, iidem fere verbis utitur quibus Constantinus:  
Tunc se aliqui eorum subtrahere ceperunt. Verùm in  
eo lapsus est Baronius, quòd hanc Epistolam Con-  
stantini scriptam esse censuit post iudicium Mediola-  
nense. Atqui Constantinus in hac ad Cællum Epi-  
stola diserte affirmat, se propediem in Africam esse  
venturum, ut inter Cæcilianum & adversarios ejus  
de causa sacrilegi schismatis accuratissime iudicet.  
Nondum ergo Mediolani inter partes judicaret,  
cum hanc Epistolam ad Cællum Vicarium Africa  
Dscripsit. Proinde necesse est, ut inter fugam illam Do-  
natistarum & inter iudiciu Mediolanense, satis lon-  
gum temporis spatium intercesserit. Fuit autem  
Domitius Cællus Vicarius Africa Constantino IV.  
& Licinio IV. Coss. ut patet ex codice Theod. ad  
legem Fabiam. Sed & anno sequente, Sabino &  
Rufino Coss. ut docet lex prima eujusdem Codicis,  
de officio iudicium omnium. Quare supradictam  
Constantini Epistolam datam esse oportet; vel sub  
finem anni 315. vel certe anno 316. aliquot men-  
sibus ante Mediolanense iudicium. Eodem quo-  
que anno data est Epistola Præfectorum Prætorio  
ad Cællum Vicarium Africa, quæ significant de-  
disse se Episcopis partis Donati, quos ad Africam  
redire iusserat Imp. tractoriam cum annonis ul-  
que ad Arelatensem portum, ut inde in Africam*



navigarent. Quam quidem Epistolam Baronius scriptam esse credidit Volufiano & Anniano Coss. post Concilium Arelatenfe, cum Constantinus Episcopos ad sedes proprias redire iussisset. Verum hæc sententia ferri non potest, cum Arelatenfe Concilium congregatum fit Calendis Augusti, Consulatu Volufiani & Anniani: Epistola verò Petronii Anniani Præfecti Prætorio, & Juliani eius collegæ ad Celsum Vicarium, data fit 4. Calendas Majas Triveris. Alioqui dicendum esset, Episcopos partis Donati ex Concilio Arelatenfi rediisse eo tempore, quo Concilium ipsum nondum erat congregatum. Proinde hanc Epistolam Præfectorum scriptam esse oportet anno Christi 315. aut 316. Quo tempore Domitius Celsus Vicariam Præfecturam in Africa administravit.

## CAPUT XIII.

**A**Cceptis Constantini literis quas superiori capite retulimus, Domitius Celsus Cæcilianum Episcopum & adversarios eius ad se accessit. Quibus literas Principis cum legisset, sicut à Constantino præceptum fuerat; Cæcilianus iram atque indignationem Constantini ex literarum asperitate concipiens, confestim ad Comitatum perrexit, quò Constantini literis, ut supra memoravi, jam fuerat evocatus. Cum igitur Mediolanum pervenisset, ubi Constantinus tunc temporis morabatur; Imperator de illius adventu certior factus, causam omnem quæ inter Cæcilianum & adversarios eius jam dudum agitabatur, imperialis sententia statuit terminare. Ac primum quidem Cæcilianum & accusatores illius sibi exhiberi iussit in consistorio. Deinde auditis utriusque partis allegationibus, omnique controversia diligentissime & cautissime discussa atque examinata (nihil enim ipsum latere poterat, quippe cum Acta omnia tam Ecclesiastica quam Proconsularia ad eum missa essent; ipse quoque præsto esset Ingentius) tandem prolata sententia Cæcilianum innocentem; Episcopos autem partis Donati calumniosissimos pronuntiavit. Ita Augustinus in Epistola 162. ubi Constantini factum excusare conatur, qui de causa Ecclesiæ post Episcoporum iudicia ausus fuerit iudicare. Ait enim Augustinus illum assiduis & prope quotidianis Donatistarum interpellationibus victum, id fecisse. Nam initio quidem cum ab Arelatenfi iudicio ad ipsum provocassent, eos acerbissime repulerat. Postea tamen cessit molestissimis eorum postulacionibus, ut post Episcopos ipse laicus in causa Ecclesiæ iudicaret; non quòd suum iudicium in huiusmodi controversiis sacerdotali iudicio anteferendum putaret; quippe qui tantum honorem tribuerit iudicis Antistiti, ut res ab illis iudicatas pari loco atque auctoritate habendas esse censuerit, ac si Deus ipse iudicasset. Sic enim loquitur in Epistola ad Episcopos post Arelatenfe Concilium. Sed ideo post Episcopos causam illam iudicandam suscepit, ut omnem criminandi & tumultuandi occasionem Donatistis in posterum adimeret, pacemque & concordiam, quam geminata Episcoporum iudicia restituere in Africa non potuerant, Imperiali iudicio resarciret. Neque enim licebat posthac Donatistis, ab Imperatoris sententia provocare, sicut ab Epi-

scoporum iudicio antea provocaverant. Hæc sunt causæ, quæ religiosissimum Imp. & Christianæ pacis studiosissimum, ad suscipiendum huius causæ iudicium impulerunt. Qui si in eo erravit, quòd de causa Ecclesiæ post Episcopos ipse laicus cognoscere & iudicare non debuit, ignoscendum certe est Imperatori, nudius tertius Christiano, neque adhuc Cathumeno; nondum certe fidei, id est, nondum baptizato. Augustinus quidem in dicta Epistola scribit, Constantinum ob hanc culpam postea ab Episcopis veniam petivisse; tunc scilicet cum Sacramentum baptismi suscepit. Sed de his hæcenus. Redeamus ad iudicium Constantini. Recitatum id fuit in collatione 3. Carthagenfi. Sic enim legitur in cap. 516. *Recitatio iudicii Constantini, quo apud se quoque Cæcilianum fuisse purgatum post Arelatenfe Concilium significat Imperator. Ubi tamen intelligere debemus, non ipsam Constantini sententiam prout gestis in consistorio habitis expressa fuerat, sed tantum Epistolam ad Eumalium Vicarium Africa, in qua Constantinus sententiam à se prolatam exposuerat, recitatum fuisse. Docet id Augustinus in Brevario collationis 3. cap. 19. Recitatum est iudicium Constantini, quemadmodum se inter partes causam Cæciliani cognovisse, ad Eumalium Vicarium Africa scripsisset; quo remotis omnibus arbitris Cæcilianum innocentem, illos calumniosissimos comperisse testatus est; commemorans etiam in Arelatenfi oppido pro Cæciliano factum Episcopale iudicium, cui iudicio iam plurimi ex dissensione confenserant, reliquis adhuc resistentibus & discordantibus. Unde ipse de re tota inter partes coactus est iudicare, &c.* In quibus verbis observandum est, Constantinum remotis omnibus Arbitris iudicare voluisse, ob reverentiam scilicet Christianæ religionis, ne Antistitum jurgia ac dissensiones Gentilibus innotescerent. Ideò remotis Officialibus, & consistorianis iudicibus, quorum plerique adhuc dæmonum superstitioso cultui dediti erant, solus ipse hoc iudicium agitavit. Extat etiam apud eundem Augustinum in libro 3. contra Cresconium cap. 71. pars sententiæ tunc prolata à Constantino, quam hic apponere operæ pretium duxi, præsertim cum à Baronio sit prætermissa: *In sero adhuc & verba Constantini ex literis eius ad Eumalium Vicarium, ubi se inter partes cognovisse, & innocentem Cæcilianum comperisse testatur. Cum enim narrasset in his que supra locutus est, quemadmodum ad iudicium eius post Episcopalia iudicia partes perductæ fuerint. In quo per vidi, inquit, Cæcilianum vicarium omni innocentia præditum, ac debita religionis sua officia servantem, eoque ita ut oportuit, servientem, nec ullum in eo crimen reperiri potuisse eidem apparuit, sicut absens fuerat adversariorum suorum simulatione compositum. Porto hæc Epistola ad Eumalium data est quarto Idus Novembris Sabino & Rufino Coss. ut scribit Augustinus in libro ad Donatistas post collationem. Videtur autem hic esse Eumelius, cuius mentio fit in lege 2. codice Theod. de calumniatoribus.*

## CAPUT XIV.

**P**ost auctoritatem iudicii Imperialis, Donatistas conquiscescere jam decebat. Nec tamen quavis tot iudiciis victi atque oppressi, pervicacissimis contentionibus finem imposuerunt; sed furere



quodam occæcati, Imperatorem ipsum à quo damnati fuerant, reprehendere & accusare cœperunt, quasi gratia corruptus, & ab Hosio Episcopo, qui Cæcilianum suffragabatur, concitatus, adversus ipsos iudicium protulisset. Quare coactus est Constantinus, Princeps alioqui mitissimus, majori vigore ac severitate adversus eos insurgere. Primumque omnium Imperatorum contra partem Donati legem severissimam tulit, ut cuncta eorum loca in quibus congregari consueverant, fisco vindicarentur, ut scribit Augustinus in Epist. 68. & 165. & in lib. 2. adversus Petilianum cap. 92. Quo anno hæc lex à Constantino lata sit, obscurum est, cum id Augustinus prætermiserit. Eusebius quidem in fine lib. 3. de vita Constantini, refert Constitutionem eiusdem Imperatoris, quâ omnibus hæreticis basilicas ademittit. Verum alia fuit, ut opinor, lex illa cujus meminit Augustinus, quippe quæ adversus Donatistas nominatim data sit. Ejus mentio fit ab Imp. Gratiano in lege 2. codice Theod. ne sanctum baptismum iteretur. Legem Constantini adversus Donatistas ceteri deinceps Imperatores secuti sunt: nisi quod Julianus Imperator hostis Catholicæ religionis, Donatistis basilicas suas reddidit, cum Rogatianus & Pontius Episcopi partis Donati, libello ipsi oblato restitutionem earum postulassent. Quo in libello Imperatori Apostatae fœdissime adulescentes, inter cetera dixerant, solam apud illum locum habere iustitiam, ut Augustinus toties eis obiicit. Ceterum cum Donatistæ Catholicos omnibus modis vexare & læsere non desisterent, adeo ut Catholici de injuriis Donatistarum apud Magistratus frequentissime quererentur, de his certior factus Constantinus Epistolam scripsit ad universos Episcopos & ad plebem Ecclesiæ Catholicæ per Africam, quam ex appendice Optati hic apponam, quo tanti Principis clementia ac moderatio facilius possit agnosci. Sic igitur habet:

**CONSTANTINVS AVG. VNIVERSIS  
Episcopis per Africam, & plebi Ecclesiæ  
Catholicæ.**

*Quod fides debuit; quantum prudentia valuit; prout puritas potuit, tentasse me per omnia humanitatis & moderationis officia optime scitis, ut juxta magisteria legis nostræ, pax illa sanctissima fraternitatis cujus gratiam Deus summus famulorum suorum pectoribus immisit, stabiliâ per omnem concordiam teneretur. Sed quia vim illam sceleris infusi, paucorum licet sensibus pervicaciter inberentem, intentionis nostræ ratio non potuit edomare, favente adhuc sibi hujus nequitia patrocínio, ut extorqueri sibi omnino non sinerent, in quo se deliquisse gauderent: Expectandum nobis est, dum totum hoc quod per paucos cedit in populam, omnipotentis Dei misericordia mitigetur. Inde enim remedium sperare debemus, quo omnia bona vota & facta referuntur. Verum dum celestis medicina procedat, hætenus sunt consilia nostra moderanda, ut patientiam percolamus, & quidquid insolentia illorum pro consuetudine intemperantia teniat aut faciat, id omne tranquillitatis virrute toleremus. Nihil ex reciproco repenatur injuria. Vindictam enim quam Deo servare debemus, insipientis est manus usurpare: maxime cum debeat fides nostra confidere, quod quid ab hujusmodi*

*hominum furore patietur, Martyrij gratia apud Deum esse valuturum. Quid est enim aliud in hoc saculo in nomine Dei vincere, quam inconditos hominum impetus quietæ legis populam læsentes, constanti patore sustinere? Quod si observaverit vestra fuscitudo, esto videbitis per gratiam summæ divinitatis, ut læguescentibus curam institutis vel moribus, qui se miserissima contentionis vexillarios præbent, sciant omnes non debere se paucorum persuasionem perentes sempiterno leto dare, quo possint penitentia gratia, vita æterna correctis erroribus sui integrari. Valeat voto communi per sæcula vivente Deo, fratres charissimi.*

CAPUT XV.

**H**ujusmodi fuit lenitas ac mansuetudo optimi Principis, qui homines insolentissimos, adversus Ecclesiastica & sæcularia judicia contumaci animo rebellantes, ex Evangelicæ legis præcepto sustinendos potius, quam vindicæ legum gladio, qui ad stabilendam publicam pacem ac disciplinam Imperatoribus à Deo commissus est, puniendos esse existimavit. Verum hæc tanta Imperatoris clementia nihil profecit. Quippe illi ex Principis indulgentia majorem sumentes audaciam, gravioribus in dies malis Catholicos oppresserunt. Nam & basilicam Ecclesiæ Catholicæ, quam in civitate Constantina (caput hæc erat Numidiæ, Circa ante dicta) fabricari jussit Imperator, per vim invalerunt; & frequenter tum à Catholicis Episcopis, tum à iudicibus, ex Imperatoris iussione commoniti, eam redere recularunt. Quinetiam Decuriones ac primores civitatum malignis suggestionibus incitarunt, ut lectores & hypodiconos ac ceteros clericos Ecclesiæ Catholicæ ad Decurionatum & functiones publicorum munerum revocarent. Quam ob rem Episcopi Ecclesiæ Catholicæ per Numidiam, ad Imperatorem compulsi sunt, eiusque auxiliū implorare. Et quoniam plurimis experimentis competum habebant, Imperatorem Constantinum lenitate ac patientia unice delectari, idcirco ad Imp. scribentes, jacturam basilicæ suæ quam Donatistæ invaserant, se patienter tolerare testati sunt: alium verò locum fiscalem sibi dari postularunt, in quo Ecclesiam ædificarent. Quæsi sunt etiam de vexatione clericorum suæ partis, qui contra legem Imp. ad Atulinum Proconsulem datam, ad functiones publicas vocarentur. Desideratur quidem hæc Epistola Episcoporum Numidarum: sed extat relinquitur Constantini ad eosdem Episcopos, quo petitioni illorum annuens, non solum fiscalem domum eis dari præcepit, verum etiam sumptus ad fabricationem Ecclesiæ subministravit. Clericos quoque partis Catholicæ, immunitate dudum à se concessa frui libere ac secure iussit. Huic Epistolæ sicut & reliquis Imp. Constantini, quæ in appendice Optati referuntur, nec dies nec Consul adscriptus est. Quo fit, ut difficile affirmari possit, in quem annum hæc conferenda sint. Probabilis tamen conjectura est, hæc anno 317. aut 18. contigisse; idque ante legem quâ Constantinus basilicas Donatistis ademittit. Et hæc quidem omnia adversus Catholicos in urbe Constantina, ductu atque auspicio Silvani eiusdem urbis Episcopi gerebantur. Hic enim præcipuus fautor erat partis Donati.



Qui cum diutissime grassatus esset adversus Catholicos, tandem divina ipsum persequente iustitia, debitas penas persolvit. Id autem ita factum esse accepimus.

## CAPUT XVI.

Fuit quidam Nundinarius Diaconus, qui à Silvano Constantinensium seu Cirtensium Episcopo ob quasdam similitates ipsi graviter in se de gradatus, cum per literas aliorum Episcoporum ei satisfacere ac pristinum gradum recuperare frustra tentasset, multa patefecit iratum & in iudicium publicum protulit. Nam & Silvanum traditorem fuisse sacrorum voluminum convicit apud Zenophilum Consularem Numidiæ, partim ex Gestis Municipibus, partim testimoniis ac professionibus complurium Clericorum: & Lucilla pecunia corruptos Episcopos qui ex Numidia venerant, Cæcilianum damnasse, & Majorinum ordinasse, eorundem assertionibus comprobavit. Extant hodieque Gestis ipsa apud Zenophilum Consularem Numidiæ habita Constantino Maximo Augusto VI. & Constantino juniore Nob. Cæsare Coss. Idibus Decembris, qui fuit annus Christi viceſimus ac trecentessimus. At Baronius in Annalibus, hæc apud Zenophilum Gestis anni Christi 306. habita esse credidit, quod superius abunde refutavi. Post hæc Zenophilus relatione ad Principem missa, eum certiore de omnibus fecit; addens etiam multa adversum eundem Silvanum, quem præcipuum auctorem turbarum ac seditionum in Numidia esse asseverabat. Quibus permotus Constantinus, Silvanum cum aliquot aliis eiusdem factionis, qui discidium in Ecclesia Africana alere videbantur, exilio multavit. Cresconius quidem Grammaticus ex parte Donati, scripsit Silvanum Episcopum ideo missum esse in exilium, quod Ursacium & Zenophilum persequentibus communicare noluisse. Sed refellitur ab Augustino in lib. 3. contra Cresconium cap. 30. *Sed posteaquam Ursacio & Zenophilo persequentibus communicare noluisse, actus est in exilium. Immo qui jam traditor fuit, permanere etiam hæreticus voluit, ut falsum honorem in ipsa parte Donati haberet, qui habere in Catholica nullum posset, tam manifestum traditionis sua Gestis publico iudicio reseratis.* Non igitur propterea quod Zenophilum communicare noluisse, relegatus est Silvanus; sed quod traditionis reus Episcopatum malis artibus comparasset, & quod pacem Ecclesiæ Africanæ assiduis factionibus perturbasset; quod basilicam Ecclesiæ Catholicæ à Constantino fabricatam invadere non dubitasset. Porro Ursacius, cuius meminit Cresconius, Comes erat rei militaris per Africam; vir Catholicus & admodum religioſus, qui postea in proelio adversus barbaros occubuit. Quod Donatistarum ultione eidem contigisse iactabant, eo quod partis suæ homines persecutus fuisset, ut legitur in libro 2. Augustini contra literas Petilianæ cap. 92. Eiusdem meminit Optatus in lib. 3. ubi iudices recensens qui Donatistas in Africa persecuti fuerant, nominat Leontium & Ursacium, itemque Taurinum, Paulum & Macarium. Ac sub Leontio quidem & Ursacio plurimos Donatistarum ait iniuria affectos; sub Paulo autem &

Macario quosdam necatos, quosdam esse proscriptos.

## CAPUT XVII.

Sequente anno, qui fuit à Natale Christi 321. Crispo & Constantino iterum Coss. Episcopi partis Donati libellum dederunt Constantino, poscentes, ut libere ipsos agere sineret, nec invitos ad communionem Cæciliani cogere vellet. Se enim nec promissis ullis nec minis adduci posse, ut cum illo communicarent; morique acerbissima morte milles malle, quam tantum piaculum admittere. Orabant etiam, ut Silvanum & collegas ab exilio revocaret. Hujus libelli mentio fit in collatione 3. Carthaginensi cap. 544. & ab Augustino in Breviario cap. 21, ubi ipsa etiam verba refert libelli Donatistarum: *Ibi enim dicunt, nullo modo se communicaturos Antistiti ipsius nebuloni, paratosque esse perpeti quicquid eis facere voluisset.* Hic verò Imperatoris maxime elucet clementia: Qui cum Donatistarum impudentiam atque insolentiam plectere debuisset, quippe qui Cæcilianum, cuius innocentiam Constantinus suo iudicio comprobaverat, nebulonem vocare non dubitarent, nihilominus tamen ipsis quæcumque polebant, solita benignitate indulſit. Rescripsit igitur ad Verinum Vicarium Africæ, se iussisse significans, ut Donatistæ ab exilio remearent; monensque ut proprio eos dimittat arbitrio, ac furorem eorum Deo vindici reservert, quippe qui jam cœpisset in eos vindicare. Ita Augustinus tum in Breviario, tum in Epistola 152. Sed & in libro ad Donatistas post collationem, tempus hujus Rescripti docet his verbis: *Idem Imp. ad Valerium Vicarium de illorum exilio soluto, & eorum furore Deo vindici dimittendo, licet as deducit Crispo & Constantino iterum Coss. tertio Nonas Majas.* Baronius quidem ad annum Christi 321. hoc Rescriptum Constantini ad Valerium seu Verinum Vicarium commemoravit; sed nullam mentionem fecit libelli Donatistarum, cum tamen eo Rescripto Imp. Constantinus libello Donatistarum responderit. Sed Baronius vir alioqui diligentissimus, id videtur non animadvertisse, propterea quod capitula Gestorum collationis tertie Carthaginensis non legerat, in quibus id diserte scriptum habetur. Sic enim in cap. 544. *Prosecutio Donatistarum, qua Principi Constantino libellum afferunt proprios dedisse majores, & eo Principem motum, agendi eis dedisse licentiam. Recitatio libelli, &c. Prosecutio Catholicorum, qua afferunt pro se facere libellum quem recitaverunt Donatista. Interlocutio Catholicorum dicta confirmans, & Rescriptum Constantini præcipiens recitari. Vos recitatur Epistola Constantini ad Verinum Vicarium destinata, qua libertatem agendi tribuit Donatistis. Prosecutio Catholicorum, qua dicit pro se magis facere Epistolam Constantini, quia non de Cæciliano aliqua iudicatum est, sed furor ipsi permitti sunt. Vbi Donatistæ petunt, ut iudex de permissa sibi à Constantino arbitrij libertate pronuntiet.* Quibus in verbis notandum est, arbitrij libertatem seu agendi licentiam, nihil aliud esse quam libertatem conscientie, ut vulgo dicere solemus.

## CAPUT XVIII.

Per hæc tempora bellum civile inter Constanti-



num ac Licinium vehementius exarsit. Quam oportunitatem nacti Donatistæ, dum religiosissimus Princeps bellicis negotiis distineretur, interim ipsi gravissimos tumultus per Africam concitarunt. Victo demum Licinio, Constantinus qui universo orbi Romano firmissimam pacem præstiterat, ut eam quoque restitueret Ecclesiæ laboravit. Totus igitur in eam cogitationem incumbens, ad sedandum morbum pestiferæ dissensionis quo Africana jam diu laborabat Ecclesia, unum hoc remedium reperit; ut quandoquidem Occidentales Episcopi duobus Conciliis jam congregatis nihil profecerant, Orientales in Africam mitteret, qui rem ab aliis frustra tentatam tandem aliquando perficerent. Sic enim existimabat Princeps Dei amantissimus, cum religio ac fides Christi ab Orientis primis partibus in reliquis regiones diffusa sit, inde quoque esse expetenda salutis pacisque documenta. Verum dum hæc animo designat, nuntius repente ad eum perlatus est de discidio longe gravissimo Ecclesiarum Ægypti. Namque Arius Alexandrinæ urbis presbyter, nova quædam dogmata de Filio Dei spargere aggressus, plurimos non ex plebe solum, sed etiam clericos eius civitatis, in suas partes traxerat. Ortaque semel dissensio, non jam intra urbis Alexandria terminos subsistebat; sed ulterius progressa, atque in dies latius serpens, universam Ægyptum multasque Orientis provincias pervaserat; aliis Arii; aliis Alexandri sententiam pertinaciter defendentibus. Hic nuntius Constantinum acerbissimo dolore percudit, eiusque animum Africanis tum maxime intentum negotiis

aliud traduxit. Videbat quippe religiosissimus Princeps, eos quorum operâ Africanæ Ecclesiæ malis mederi se posse speraverat, ipsos medico & curatione indigere, quemadmodum ipse scribit in Epistola ad Alexandrum & Arium. Protinus igitur in urbe Nicæa congregari Synodum jubet. Ex omnibus orbis Romani provinciis evocati conveniunt Sacerdotes. Quos inter fuit Cæcilius Carthaginensis Episcopus, ut præter subscriptiones Nicæni Concilii docet Athanasius in oratione prima contra Arianos. Ex Donatistis vero nec Episcopus ullus nec Presbyter, ei Synodo interfuisse memoratur. Quo maxime argumento perspicitur, Donatistas à communione Catholica profluisse alicenos fuisse, quippe qui nec generali Synodo interfuerint, nec ullam cum iis qui interfuerant, communionis societatem habuerint. Atque hic finem faciemus historiæ Donatistarum; tum quia ultra Eusebianæ historiæ terminos nequaquam progredi decrevimus; tum quod reliqua deinceps factis plana sunt atque expedita. Id unum monuisse non pigebit; hoc schisma diutissime in Africa perseverasse. Nam Pontificatu Gregorii Magni, id est, annis fere trecentis ab ordinatione Majorini, Donatistarum schisma per Africam adhuc viguit, ut docet Gregorius in libro 1. Epistola 75. ad Episcopos Numidia, & in Epistola 33. lib. 2. & in lib. 3. Epistola 32. & 35. & in lib. 5. Epistola 36. & 61. Adeo tenax est erroris sui schisma; nec facile ad pacem & unitatem Ecclesiæ revertuntur, qui se ab eâ temere abruperunt.

### HENRICI VALESII EPISTOLA AD AMICVM de Anastasi & Martyrio Hierosolymitano.

Queris à me quid sentiam, tum de nummo Paschalini in quo ANACTACIC nomen inscriptum est; tum de loco sancti Hieronymi in Epistola ad Pammachium, ubi dicit: *Cum de Anastasi pergeris ad Crucem, &c.* In quorum interpretatione cum Jacobum Sirmondum & Joannem Tristandum dissentire videas, meam de hac questione sententiam requirendam putasti. Ego vero, etsi mecum non est, inter tantos viros quorum uterque singulari mecum amicitia conjunctus est, arbitrum agere; dicam tamen absque præiudicio, & cum utriusque venia, quod ex accurata veterum Scriptorum lectione didici. Tui arbitrii erit, & aliorum in quorum manus hæc Epistola perveniet, an recte senserim pronuntiare.

Optime quidem, ut solet, Jacobus Sirmondus ANACTACIN in illo Paschalini nummo, templum esse docuit sepulchro Domini superstructum. Sed quod idem ait in Triplice nummo pag. 9. Constantinum Magnum diversis in locis duas Basilicas crexisse, unam in loco Passionis, quæ Martyrium & Crux dicta est; alteram in loco Resurrectionis, quæ Anastasi & Dominicum dicebatur; tametsi apud me plurimum valet eius auctoritas, in hoc tamen ei assentiri non possum. Unicam enim Basilicam à Constantino Magno Hierosolymis ædifica-

tam esse prodit Eusebius, tum in Oratione de laudibus Constantini, pag. 466. tum in lib. 3. & 4. de eius vita. Cui consensit auctor Itinerarii Hierosolymitani, qui iisdem ferè temporibus scripsit quibus Eusebius. Nam Dalmatii & Zenophili Consulatum commemorat, quem certum est in extrema Constantini tempora incidisse. Accedit Eucherius in libello de situ urbis Hierosolymitanæ, quem Jacobo Sirmondo debemus, & Antoninus Martyr in Itinerario. Quibus etiam adjungi potest testimonium Socratis in lib. 1. cap. 13. Sozomeni & aliorum quorum infra mentionem faciam. Hi omnes unam duntaxat Basilicam à Constantino Maximo Hierosolymis exstructam esse consentiunt. Quæ quidem & Martyrium dicta est, teste Eucherio. Certè Eusebius eam disertè *μαρτυριον* appellat, tum in lib. 3. de vita Constantini cap. 29. tum in lib. 4. c. 40. 43. & 45. Sozomenus quoque eandem Basilicam *πρὸς τὴν μαρτυριον* dictam esse testatur. Ad cujus consecrationem iussu Imperatoris Constantini conveniunt Episcopi qui in urbe Tyro congregati erant, Consulatu Constantii & Albini. Postremò in Epistola Episcoporum qui Hierosolymis ad dedicationem illius Basilicæ conveniunt, quam refert Athanasius in Apologia ad Constantium pag. 801. *εὐαγγέλιον μαρτυριον* vocatur.

Cæterum aniam erroris Sirmondo præbuisse videtur.